IOANNIS LAVNOII CONSTANTIENSIS THEOLOGI PARISIENSIS

VARIA

DE DVOBVS DIONYSIIS ATHENIENSI ET PARISIENSI

OPVSCVLA,

QVORVM FRONTI IAC. SIRMONDI Diſſertatio de eadem materia præfigitur.

Vbi ex occaſione multa ad Gallicanæ Eccleſiæ originem ſpectantia tractantur.

Acceſſit de veteribus Baſilicis Pariſienſibus Diſquiſitio.

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM MARTINVM, viâ Iacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LX.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNES LAVNOIVS
Pariſienſis Theologus
LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HIc Liber, qui multa volumina & varias diſſertationes complectitur, præfatione indiget. Et primò quidem, quæ tot voluminum & diſſertationum cauſa fuerit, deinde, quid ſummatim tractetur in ſingulis, neceſſariò monendum eſt.

Annus igitur agebatur milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus nonus, cùm vir clariſſimus Iacobus Sirmondus antiqua Galliæ Concilia edidit, & in tomos treis diſtribuit. In altero refert Ludouici Pij ad Hilduinum epiſtolam, qua iubet Imperator, vt ille vitam Sancti Dionyſij conſcribat. Sirmondus in ſuis ad hunc tomum obſeruationibus hæc de argumento epiſtolæ tradit. *Præmitti ſolet Hilduini Abba-*

Digitized by Google

tis Sancti Dionyſij Areopagiticis. Huius enim epiſtolæ mandato Hilduinus Areopagitica ſua ſcripſit, primúſque omnium Dionyſium Pariſienſem eundem cum Dionyſio Areopagita Epiſcopo Athenienſium eſſe docuit, cùm ab omnibus antea diſtinguerentur; adeò vt in antiquis, nunc etiam omnium Eccleſiarum Galliæ Martyrologiis alius dies natali Dionyſij Athenienſis adſignetur V. *Nonas Octobris, alius natali Dionyſij Pariſienſis* VII. *Idus eiuſdem menſis: atque hoc ipſum vtriuſque natalis diſcrimen obſeruet etiam in Martyrologio ſuo Vſuardus, qui paullo ante Hilduinum Carolo Magno regnante in ipſa Pariſiorum vrbe ſcribebat in monaſterio Sancti Germani, vbi & vetuſta eius operis, quæ rei fidem faciant, exemplaria ſeruantur. Gallorum autem de Dionyſio ſuo ſententiam ignoraſſe vel diſſimulaſſe Vſuardum quis credat? Ioannes denique Eriugena, ſeu Scotus eius æui ſcriptor in epiſtola ad Carolum Caluum, quam Latinæ Græcorum Dionyſij operum verſioni ſuæ præfixit, ad hanc Hilduini de vnico Dionyſio nouam tum ſententiam alludens, non veterum, ſed moderni, hoc eſt ſui temporis hominum aſſertionem fuiſſe ait. Tam multa porrò & tam aperta ſunt, quæ Dionyſium Pariſienſem ab Athenienſi diſtinguant, vt mirum ſit reperiri aliquos, qui in tanta luce nihil vi-*

Digitized by Google

deant. Reclamant tamen, & vt duos Dionyſios in vnum redigant, vehementer contendunt, nec contrà rem diſcuti, aut in quæſtionem vocari patiuntur, quaſi Pariſienſium parum interſit prouidere, vt quam Apoſtolo ſuo gratiam debent, eam alieno ne tribuant, aut in Eccleſia leuis ſit iniuria, cùm duos ſanctitate præſtantes Epiſcopos habeant, alterum detrahere. Hæc obſeruatio diſplicuit nonnullis dignitate magis, quàm eruditione primariis, quos homines peruersè religioſi commouerant. Vt illorum ſtudiis ſatisfieret, chartæ folium vbi erat obſeruatio, recuſum eſt, atque ex eo ſublatum, quod diſplicuerat. Hæc agendi ratio neminem latuit, in cognitionem omnium deuenit. Exinde contigit, vt curioſi emptores antiqua Galliæ Concilia comparare ſibi noluerint, niſi chartæ folium, cuius ſupprimendi conſilium initum fuerat, haberent. Bibliopola cùm hoc perſpiceret, ſuarum rerum ſatagens, folium quod in omnem euentum ſeruauerat, poſtulantibus non recuſat ampliùs: vt libros ſuos vendat ac diſtrahat, ſpontè concedit. Emptores habuerunt, quod habere voluerunt. Atque ita ſalua res fuit, quia veritas non erubuit. Neque enim erubeſcit vnquam,

Digitized by Google

niſi dum abſconditur. abſcondita non eſt, apertam in lucem prodiit, fauente cum primis Rege, & principe Regis adminiſtro, quibus antiquæ traditionis indagatio & defenſio placuit. Sirmondi obſeruatio, ſi vera non erat, breuiori poterat obſeruatione confutari: edendus tantùm erat, proferendúſque in medium auctor vnus Hilduino vetuſtior, qui Dionyſium Pariſienſium Epiſcopum eundem cum Dionyſio Areopagita Epiſcopo Athenienſium eſſe literis mandaſſet. quid ſi fieri potuit, factu facilius? Tunc omnis conclamata fuiſſet obſeruatio, & velut neceſſario quodam labefactata motu concidiſſet. Enimuerò cùm ne vnus quidem edi proferríque potuit auctor Hilduino ſuperior, qui quod dicendum fuit, diceret, veritas, quæ ſua ſimplicitate contenta eſt, præter rationem viſa eſt multarum rerum & verborum compoſitione opus habere. Hic fons, hæc origo plurium voluminum & variarum diſſertationum, quibus ne apertum lumen videretur & nouum Hilduini placitum extabeſceret, replicata ſunt totius Gallicanæ Eccleſiæ primordia, & incertis recentiorum narrationibus aſperſa. Germanus Milletus monaſterij Sancti Dionyſij

Digitized by Google

monachus paucorum, vt apparet, verſuum obſeruationem libris quatuor oppugnare conatur anno MDCXXXVIII. Sirmondus leues & perditos eſſe conatus oſtendit libello, qui *Diſſertatio de duobus Dionyſiis* inſcribitur, & prodiit anno MDCXLI. Interim cùm Hilduinum nouitatis accuſari perſpicerem, illius Areopagitica legi & perlegi, ac tandem inueni auctorem eſſe indignum, cui fides vlla haberetur. quod opuſculo paruo declaraui. quo tempore Ioannes Samblacatus Toloſas in Sirmondum temere irruit, ediditque libellum Galliæ Palladium nuncupatum, quod animaduerſionibus tredecim confixi. Nec multò pòſt Milletus Reſponſionem ad Sirmondi Diſſertationem ſcripſit. Sirmondus neglexit hoc opus, quòd auctor in eo obſcurum per obſcurius probaret, incerta certis, & recentia priſcis anteponeret. Verumenimuerò ne de Sirmondi ſilentio præter modum ſibi gratularetur, illius reſponſionem diſcuſſi, & ad inueniendi aſſerendíque veri regulas exegi. Milletus prorogandi certaminis & defendendæ reſponſionis cupiditatem abiecit. In eius locum ſucceſſit qui *de vnico Dionyſio Areopagita Athenarum Pariſiorum Epiſcopo* Dia-

tribam aduerſus meam Diſcuſſionem ſcripſit. Is fuit Hugo Menardus monaſterij Sancti Dionyſij monachus, qui nomen operi ſuo apponere non eſt auſus, tum quia contra propriam conſcientiam ſcribebat, tum quia pro ea, qua pollebat humilitate & modeſtia, verebatur, ne profligatæ cauſæ defenſione partam apud eruditos & cordatos homines exiſtimationem amitteret. Ceteris libris, in quibus famam colligere ſe poſſe ſperabat, nomen ſtudioſiſſimè præfixit. At Menardo vita functo factum eſt, quod ille viuus fieri noluerat, niſi forſan ſuprema voluntate ſua fieri aliter voluerit. Quidquid id eſt, interpoſito monaſticæ congregationis decreto cautum, ne Diatribæ auctor obliuioni traderetur. Hinc recuſum eſt primum libri folium, & illic celebre Hugonis Menardi Benedictini congregationis Sancti Mauri in Gallia monachi nomen adiunctum eſt. Sed viri prudentes non aduerterunt, Diatribæ ſcriptorem Hugonem Menardum citare. Id autem cùm ita ſit, Hugo Menardus Hugonem Menardum vt auctorem à ſeipſo diſtinctum citabit, & omnium irriſioni exponet. Diſcuſſionem Milletianæ Reſponſionis cùm recenſui,

Menardum aggreſſus ſum, & quod in eius Diatriba refellendum fuit, oppidò refelli. Communes illius locos expendo, & in omne inconuenientium genus deduco. Nempe quòd ſeipſum propria manu iugulet, & quibuſcunque Chriſtianæ religionis hoſtibus arma ſubminiſtret. Fuerunt & alij, qui eandem materiam tractarunt, ſed nihil attinet eos nominare. Qui ſtant à monachorum partibus, quæ ſunt illorum propria, repetunt, & in eandem cum monachis confutationem incurrunt. De reliquo, quæ ad Sirmondum pertinent, Codicis huius partim Præfationem occupant, partim concertationis initium faciunt. Hinc illius ad Ludouici Imperatoris epiſtolam Obſeruatio in Præfatione hac ponitur, & Præfationem ſtatim excipit *Diſſertatio de duobus Dionyſiis*. Ordinem hunc iure poſtulant tria, ſcriptionis tempus, incomparabilis Sirmondi eruditio, & diſſertationis defenſio. Primum & tertium tempori, ſecundum dignitati atque amplitudini perſonæ, conueniunt.

Hæc eſt igitur chronica ſeries opuſculorum, quæ hoc in Libro continentur, & in duas partes diuiduntur.

Iacobi Sirmondi Diſſertatio de duobus Dionyſiis, pag. 1. Part. I.

Digitized by Google

Hoc opuſculum ſequuntur

De Hilduini Areopagiticis Iudicium, pag. 49. Part. I.

Epiſtolæ Hincmari ad Carolum Imperatorem Diſpunctio, pag. 108. Part. I.

De Anaſtaſij Bibliothecarij ad eundem Carolum epiſtola Iudicium, pag. 129. Part. I.

Animaduerſiones in Ioannis Samblacati Palladium Galliæ, pag. 135. Part. II.

Reſponſionis ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis Diſcuſſio, pag. 1. Part. II.

In Diſcuſſionis huius capite v. *Cenſorij Iudicij de Cypriani epiſtola* LXVII. *pag.* 77. *de quibuſdam Zoſimi epiſtolis pag.* 118. *& de libello ſupplici Epiſcoporum Prouinciæ pag.* 142. *defenſio.*

Vita B. Dionyſij Areopagitæ primi Athenienſium Epiſcopi & Martyris, p. 390. Part. II.

De libris illi inſcriptis Iudicium, pag. 407. Part. II.

Vita B. Dionyſij Pariſiorum Apoſtoli & Martyris, pag. 431. Part. II.

Ludicræ & vmbratilis monachorum monaſterij S. Dionyſij in Francia, & monachorum ſancti Emmeramni Ratiſponenſis circa corpus Areopagitæ exercitationis cenſura, 463. P. II.

De antiquis baſilicis Pariſienſibus Diſquiſitio, pag. 483. Part. II.

Digitized by Google

OPVSCVLORVM

DE

DVOBVS DIONYSIIS

PARS PRIMA.

Digitized by Google

IACOBI

Digitized by Google

IACOBI
SIRMONDI
SOCIETATIS IESV
PRESBYTERI
DISSERTATIO
IN QVA
DIONYSII PARISIENSIS
ET DIONYSII AREOPAGITÆ
diſcrimen oſtenditur.

a

Digitized by Google

VERITATI NEMO PRÆSCRIBERE POTEST, NON SPATIVM TEMPORVM, NON PATROCINIA PERSONARVM, NON PRIVILEGIVM REGIONVM.

Tertullianus de velandis Virginibus.

Digitized by Google

LECTORI.

ERVNT qui Galliæ parum fauere nos dicant, quòd Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita diſtinguamus. Ego verò & de Gallia, & de Eccleſia malè illos mereri arbitror qui confundunt. De Gallia quidem, quòd reuerentiam, quam Antiſtiti ſuo debet, tranſferre in alium cogant: de Eccleſia autem, quòd pro geminis quos in cælo patronos martyres habet, altero detracto vnicum relinquant. At conſentaneum erat, inquiunt, Pariſienſibus antiquiſſimum & tanti nominis Epiſcopum obtingere, ne vrbium Galliæ princeps, quæ dignitate omnibus anteibat, religionis cuiquam prærogatiua concederet. Sic enim acuti homines diſputant, quaſi Lutetiæ Pariſiorum ea ſemper amplitudo fuerit quæ nunc eſt, aut ſi fuiſſet, inuidere Lugduno antiquiores Epiſcopos illa potuerit, cùm Petri cathedræ primitias Antiochiæ Roma non

Digitized by Google

inuideat. Arcani & diuini fuit conſilij ſe-riùs an ocyùs ad nos Chriſti fides peruenerit: ſummi beneficij, quòd ſuſceptam hactenus conſeruamus. Ceterùm de Areopagitæ ad nos aduentu quod prædicant, id non antiquis modò Græcorum Latinorúmque ſcriptis aduerſari, ſed à priſco Eccleſiæ ritu, rectóque iudicio abhorrere, Libellus hic vt ſpero tibi, Lector, & omnibus qui verum amant facilè perſuadebit. De iis verò, qui ad vulgati erroris defenſionem induſtriam ſuam famámque addixerunt, etſi difficilius fore intelligo, ne deſperem tamen facit, quod ob oculos habent, clariſſimi & doctiſſimi viri exemplum. Qui cùm argumentum hoc diu multúmque verſaſſet, politiſſimíſque lucubrationibus pro vnico Dionyſio pugnaciſſimè certaſſet, veritati tandem confeſſione ſua manus dedit, & quod ingenuam ac religioſam mentem decebat, ſententiam prudenter mutare, quàm in falſa opinione immori maluit.

INDEX CAPITVM.

I. DIONYSIVM *Pariſienſem Dionyſio Areopagita poſteriorem fuiſſe probatur ex Sulpicio Seuero: cuius verba dum eludere conantur aduerſarij, ſecum ipſi pugnant, & cum ſacra Scriptura.*

II. *Gregorij Turonenſis de Dionyſio ſententia, quòd Decio demum Cæſare in Galliam venerit, aſſeritur & confirmatur.*

III. *Veterem Eccleſiæ Gallicanæ traditionem duos Dionyſios agnouiſſe, veterum Martyrologiorum teſtimonio comprobatur.*

IV. *Hilduini & ſectatorum eius, qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt, noua opinio exploditur.*

V. *Dionyſij Areopagitæ tranſitum ab Epiſcopatu Athenienſi ad Pariſienſem, Græcis omnibus ignotum olim fuiſſe certis argumentis oſtenditur.*

VI. *Duos etiam Romæ diſtinctos olim fuiſſe Dionyſios, nec Areopagitam vnquam illum, qui Pariſiorum fuit Epiſcopus, appellatum.*

VII. *Quàm abſurdis ſe dictis implicent qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt.*

Digitized by Google

VIII. *Dionyſium Areopagitam non ſub Traiano vel Hadriano, ſed ſub Domitiano martyrium feciſſe.*

IX. *Dionyſium Pariſiorum Apoſtolum dici poſſe, non Gallorum. Sulpicij Seueri reſumpta defenſio, & auctorum qui ei opponuntur explanatio. Epilogus Diſſertationis.*

Digitized by Google

DISSERTATIO
IN QVA
DIONYSII PARISIENSIS & Dionyſij Areopagitæ diſcrimen oſtenditur.

CAPVT PRIMVM.

Dionyſium Pariſienſem Dionyſio Areopagita poſteriorem fuiſſe probatur ex Sulpicio Seuero: cuius verba dum eludere conantur aduerſarij, ſecum ipſi pugnant & cum ſacra Scriptura.

GRAVEM & manifeſtum contra ſe teſtem habent qui Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita non diſtinguunt, Sulpicium Seuerum rerum noſtrarum auctorem peritiſſimum; nec ſine cauſa, vt hoc telum excutiant, neruos omnes ſed fruſtra contendunt. Diſertis enim uerbis Seuerus libro II. ſacræ Hiſtoriæ, perſecutionem illam commemorans, quæ Antonini

Veri temporibus Lugdunenſem Eccleſiam & Viennenſem duodequinquaginta Martyrum ſanguine illuſtrauit, martyres ante id tempus in Gallia nullos fuiſſe teſtatus eſt. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio perſecutio quinta agitata: ac tum primùm intra Gallias martyria viſa ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Iugulum his verbis ſuæ cauſæ peti ſentiunt Areopagitici. Nam ſi Martyres Gallia M. Aurelio antiquiores nullos habuit, & Dionyſium Pariſienſem in Gallia paſſum nemo neſcit, liquet profectò diuerſum ac poſteriorem Areopagita fuiſſe, cuius vitam qui longiſſimè producunt, ad Hadriani vſque tempora perueniſſe volunt, alij ſub Traiano, qui optimè, ſub Domitiano perfunctum martyrio tradunt. Quo igitur pacto hunc nodum expediunt? Falſi accuſant Seuerum, eique Innocentium primum Pontificem opponunt, qui Decentio Eugubino ſcribat, *In omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum hominem inſtituiſſe Eccleſias nisi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerant Sacerdotes.* Sed quæſo te qui contrà diſputas, quid eſt in his verbis Innocentij quod Seueri verbis aduerſetur? Innocentius à Petro vel à Petri ſucceſſoribus miſſos in has gentes Epiſcopos ſcribit, an in Galliam à Petro miſſum quemquam affirmat? Fac Petrum ipſum Italiæ & Siciliæ aliquos deſignaſſe, reliquis prouinciis eius ſucceſſores, an liquida & aperta Innocentij ſententia non erit? Seuerum rurſus, cùm ſeriùs trans Alpes Dei religionem ſuſceptam dixit, finge Antoninorum

Vindic. Gall. glor. pag. 54.

tempora cogitaſſe, àc tum primùm à Petri ſucceſſoribus deſtinatos in Galliam Euangelij præcones cenſuiſſe, quid hîc erit, quod cum Innocentij verbis & mente non cohæreat? Quòd ſi non diſſident, cur tanto ſtrepitu Seuero Innocentius, tanquam antiquioris ſanctiorîſque fidei teſtis opponitur? At errare, inquiunt, Seuerum fallíque certum eſt, dum primos Galliæ martyres ſub M. Antonino, & ſeriùs apud nos ſuſceptam Chriſti fidem putat: cùm ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, & Epiſcopos & martyres in Gallia, eóſque vel Apoſtolorum vel Chriſti ipſius diſcipulos extitiſſe compertum ſit, apud Remos Sixtum, apud Senonas Sabinianum & Potentianum, Creſcentem Viennæ, Paulum Narbone, Trophimum Arelate, Martialem apud Lemouicas, aliis in locis alios, ante omnes verò, Maſſiliæ cum Magdalena Lazarum, & Maximinum. In quo quidem quòd fucum nobis in hac enumeratione facere nitantur non queror. Quippe qui, cùm in omni iudicio teſtes de quibus conueniat proferri debere non ignorent, eos obtrudant, de quibus non minor eſt quàm de Dionyſio ipſo controuerſia. Sed de his poſtea viderimus. Nunc hominum acumen & cautionem deſidero, qui non ſentiant ſe, dum Seuerum temerè inſectantur, in ſeipſos imprudenter incurrere. Quid enim agis, oro te, Vindex gloriæ Gallicanæ? an ſcopulum in quem impingis non vides? Enimuerò ſi vera ſunt quæ de iſtorum miſſione aſſeueras, quid aliud ſequitur, quàm falſum eſſe quod de Dionyſio prædicatis? Si Remos, ſi Senonas, ſi Viennenſes, Narbonenſes,

Vindic. pag. 8. 23. 34.

Arelatenſes & Lemouicas qui primi docuere; eos à Petro Apoſtolo miſſos contenditis, quo nomine Dionyſium, à Clemente poſteà vt vultis deſtinatum, Gallorum Apoſtolum appellatis, ante cuius aduentum tam multis in vrbibus Galliæ tot Apoſtoli numerabantur? Aut hos igitur ante Dionyſium veniſſe in Galliam opinari deſinite, aut ambitioſum Dionyſio titulum expungite. De Maria porrò Magdalena quid doces? *Sub annum Chriſti* xxxv. *imperante Tiberio*, *Maſſilienſes*, inquis, *orientem Chriſtianæ fidei ſolem in Lazaro ſuo deinde Epiſcopo, Aquenſes in Maximino, & circumiecta gentes in vtroque ſuſpexerunt, ſuſceperúntque.* Hoc verò iam non contra vos tantùm ſcribitis, ſed ni fallor contra literas ſacras. Nam ſi anno Chriſti xxxv. Maſſilienſibus Euangelium, vt vobis placet, promulgatum eſt, quî poteſt verum videri, quòd ſexto minimùm pòſt anno primitias fidei gentium in Cornelio dedicatas ex Apoſtolica Hiſtoria didicimus? Si Maſſilienſes ad Chriſti fidem iam vocatos ſciebat Petrus, (ignorare enim potuiſſe, opinor, non dices) cur vt Cæſaream ad Cornelium pergeret, diuino viſo ac reſponſo excitandus & animandus fuit? Si ante Cornelium conceſſa Nationibus fuerat hæc gratia, cur diſcipulos Chriſti, poſt Stephani lapidationem diſperſos, auctor eſt Lucas diuerſas prouincias perambulaſſe, *nemini loquentes verbum*, *niſi ſolis Iudæis*: poſt Cornelij verò baptiſmum, quaſi patefacto ad gentium conuerſionem oſtio, datóque ſigno, Antiochiam introiſſe, Chriſtúmque gentibus annuntiaſſe? Vide quas te in ſalebras impugnandi

Vindic. c. 4. pag. 31.

Act. 10.

Act. 11.

Seueri ſtudium impulerit. Et tamen fabulæ coronidem imponere non dubitas, *Ita traditio Eccleſia Gallicana.* Apage mihi fictitias traditiones iſtas, quæ niſi ſubuerſis literis ſacris defendi non poſſint. Quanto conſultius erat, ſi Seueri aſſertioni fides quærebatur, omiſſis ambiguis friuoliſque narrationibus, veterum Eccleſiarum, in quibus martyriorum erecta ſunt trophæa, ſcrinia excutere, annales & calendaria euoluere, atque in his quo quemque anno, quo Principe paſſum notent, obſeruare? Hinc enim animaduertiſſes, cùm Martyrum noſtrorum alios ſub aliis poſt M. Aurelium principibus coronatos memorent, vt Irenæum Lugdunenſem Epiſcopum, & Andeolum Heluiorum Subdiaconum ſub Seuero, Saturninum Toloſæ Antiſtitem ſub Decio, quoſdam ſub Valeriano, Gallieno, Aureliano, plurimos ſub Diocletiano & Maximiano, vt Victorem Maſſiliæ, Ferreolum Viennæ, apud Aruernos Iulianum, apud Veromanduos Quintinum, Sueſſione Criſpinum & Criſpinianum, eodémque in pago Rufinum & Valerium, Macram virginem in Remenſi, Fidem & Capraſium Aginni, apud Namnetas Donatianum & Rogatianum, apud Sedunos legionem integram Thebæorum: tanto tamen in numero nullum M. Aurelij principatu ſuperiorem reperiri, vt rectè ac verè à Sulpicio Seuero tum primùm intra Gallias martyria viſa dictum intelligas, Photinúmque Epiſcopum, Zachariam Presbyterum, Sanctum Diaconum, Epagathum, Maturum, Attalum, Blandinam, & Ponticum, cum aliis quadraginta, qui pri-

Vindic. pag. 21.

mum illum agonem ſanguine ſuo conſecrarunt, Gallicanorum Martyrum primicerios iure optimo videri.

CAPVT II.

Gregorij Turonenſis de Dionyſio ſententia, quòd Decio demùm Cæſare in Galliam venerit, aſſeritur & confirmatur.

POST Antoninorum principatum veniſſe in Galliam Dionyſium Pariſienſem Sulpicius Seuerus nos docuit: quo tempore venerit, propiùs oſtendet Gregorius Turonenſis. Decij enim Auguſti tempore, hoc eſt poſt annum Chriſti CCL. veniſſe docet libro I. Hiſtoriæ Francorum cap. XXX. *Huius*, inquit, *tempore ſeptem viri Epiſcopi ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis ſancti martyris Saturnini denarrat.* & paucis interiectis. *Hi ergo miſſi ſunt, Turonis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Auſtremonius Epiſcopus, Lemouicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Non fuit in hac hæreſi Gregorius, vt Epiſcopos in Gallia his ſeptem antiquiores nullos fuiſſe exiſtimaret, quod de illo perperam ſuſpicaris, fruſtráque vt oppugnes deſudas: cùm ante hos Photinum & Irenæum Lugdunenſes, & nobilem, de qua diximus, Athanacenſium martyrum turmam disertè commemoret, quódque animaduerſione tua

Vindic. pag. 64.

dignum erat, ante Photinum Epiſcopos vel martyres in Gallia nullos prodat, quia nullos nouerat, & præclarè illi cum Sulpicio Seuero conueniebat. Alia igitur mens Gregorij, & Hiſtoriæ quam laudat martyris Saturnini. Decio nimirum regnante nouam in Gallias Epiſcoporum aduenisse coloniam, atque inter ceteros Dionyſium Pariſienſem. Quod ille tam aſſeueranter cùm affirmet, quis tam iniquus rerum æſtimator, qui vel Hiſtoriæ huius teſtimonio vti Gregorium, vel eandem quiſquis auctor fuit mandare literis potuiſſe ſibi perſuadeat, ſi de his Epiſcopis diuerſa tunc vſpiam apud Gallos traditio vel opinio fuiſſet? At tamen reclamant Areopagi defenſores, & arietem hunc vt euertant, falsíque arguant Gregorium, totis viribus connituntur. Quid verò attinet de ſingulis nos reſpondere, cùm de vno Dionyſio noſtra ſit controuerſia? Neque tu, opinor, expectas vt de aliis omnibus fidem faciam, ſponſoréſque ac vades quæram Gregorio. De Gatiano enim, & de Auſtremonio, quin hæc amborum vera ſit epocha, quæ poſſit eſſe dubitatio, cùm Turonum & Aruernorum Eccleſiæ conſentiant? De Saturnino etiam, poſt paſſionis hiſtoriam, quæ Decium & Gratum Conſules adſignat, nec ipſe ambiges, ni fallor. Niſi te fortè hîc etiam fabulæ delectant, & illorum arridet commentum, qui Saturninum inter Ioannis Baptiſtæ diſcipulos cooptarunt. De Trophimo autem, & de Paulo ac Martiale, de quibus, vt oſtendi, vincere non potes quin causâ cadas, caue in poſteſterum verba facias. Nam ſi Pauli auditor fuit,

Trophimus, ſi de eius fonte, vt videri vis, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt, omnium ille Apoſtolus fuit, dicíque debet, non Dionyſius.
Vindic. pag. 11. At hoc, inquis, Zoſimi ad Gallos epiſtola confirmat. Quis neſcit Pontificum epiſtolis, vbi aliquid narrando pronuntiant, tantum eſſe auctoritatis & fidei, quanta illorum eſt qui ſuggeſſerint? Zoſimus quidem, nec Pauli diſcipulum vocat Trophimum, nec à Petro miſſum narrat, quod vos affirmatis, ſed à Sede Apoſtolica. Quòd verò ex eius fonte alios omnes hauſiſſe refert, ab iis ſuggeſtum eſt qui preces obtulerant, & mouere non debet. Alioqui, ſi iſtiuſmodi Pontificum reſcriptis ſtandum decernimus, actum de vobis eſt, Vindices gloriæ noſtræ. Nec ſancti Benedicti corpus habuiſtis vnquam in Gallia, quia Zachariæ Papæ literæ repugnant: nec ſancti Dionyſij apud vos ſunt reliquiæ, quas Ratisbonam tranſlatas Leonis IX. literæ declarant. Commentitias, ſcio, & fictas dicetis iſtas, nec ibo inficias. Ab iis enim proferebantur qui cudere ſolebant, qui monetæ iſtius ſignatores, & ſuppoſtores, & malleatores erant. Seu veræ autem, ſeu fictæ ſint Pontificum epiſtolæ, rerum quas narrant fidem, vt dixi, certam non faciunt. Quare ſeponamus nunc iſtas, & de Dionyſij aduentu, an Decianis temporibus congruat, inueſtigemus. Vndenam autem certior iniri ratio queat, quàm ex eorum ætate, quos Dionyſio æquales, comitéſque ac ſocios eius fuiſſe accepimus? Socios Dionyſio huc illúcque prædicationis gratiâ diſperſos duodecim, vt ſcitis, attribuunt Epiſcopi Galliæ

in epiſtola, quam ad Eugenium II. miſerunt è conuentu Pariſienſi. Horum numerum confirmant, & nomina produnt, Acta martyrum Fuſciani & Victorici, atque in his cum Fuſciano ipſo & Victorico Quintinum recenſent, Rufinum, Valerium, Criſpinum & Criſpinianum, vt ceteros omittam. Quintinum porrò apud Auguſtam Veromanduorum Diocletiano & Maximiano principibus, ſub iiſdémque apud Ambianos Fuſcianum & Victoricum, in pago Sueſſionenſi Rufinum & Valerium, apud Sueſſionem ipſam Criſpinum & Criſpinianum martyrium feciſſe, omnium eſt conſenſus. Hîc tu ergo acumen tuum tantiſper accommoda, & conclude, cùm Dionyſij comites his principibus lauream ſint adepti, verône propius quicquam videri queat, quàm quod innuit Gregorius, Dionyſium, cùm ſub Decio veniſſet, poſt Decium ſanguinem profudiſſe? Quòd ſi hæc friuola non ſunt, quò nunc recidet Ratberti noſtri ratiocinatio, qui in Rufini & Valerij martyrum geſtis hos principes adſcriptos cùm videret, Dionyſiique cum Areopagita confuſioni, quam animo imbiberat, quadrare illos non poſſe intelligeret, Actorum fidem reſpuere maluit, quàm à deſponſa fabula recedere? *Fama eſt*, inquit, ***hos cum** beato Dionyſio, qui à beato Clemente miſſus fuerat, Galliarum fines penetraſſe. Sed temporum ſeries repugnat. Sanctus namque Dionyſius ſub Domitiano Caſare anno eius imperij ſecundo martyrio coronatus eſt; iſti verò Diocletiano & Maximiano Auguſtis immortalitatis gloriam perceperunt.* Hoc enim loco primùm doceas velim, quo auctore Diony-

Digitized by Google

ſium à Clemente miſſum, & ſub Domitiano vita functum, ſcripſiſſe putes Ratbertum. Nam ſi vetuſtiſſimos Actorum eius codices conſulas, neutrum reperies. A Pontifice Romano miſſum tradunt, à quo Pontifice non docent. Præſidem præterea necis auctorem memorant Siſinnium Feſcenninum, Cæſaris qui rerum potiebatur nomen non edunt. An non iuſta eſt ſuſpicio, vtrumque ab iis additum deinceps fuiſſe, qui Areopagitæ ſæculum ſomniabant? Deinde quî cohærent iſta, quæſo te, vt à Clemente legatus Dionyſius, & anno Domitiani ſecundo cæſus dicatur? Clemens namque anno illo, quod Annales probant, Pontifex nondum erat. Vnde ab eodem poſteà mitti niſi mortuus non potuit. Denique veterum Pariſienſium Epiſcoporum, qui Dionyſium ſecuti ſunt, ſeriem & numerum recognoſce. Sextus occurret Victorinus, is qui Agrippinenſi de Euphrata Synodo interfuit anno æræ Chriſtianæ CCCXLVI. Itaque à Decij primordiis, Dionyſiíque aduentu, ad eam Synodum anni fluxere quinque & nonaginta, quos in quinque aut ſex Epiſcopos tribui nihil eſt incommodi. A Clemente verò ad Synodum eandem anni propè ducenti & ſexaginta, quos à tam paucis Epiſcopis, ſede non vacante, occupatos incredibile eſt, vt hinc quoque ratam atque expeditam Gregorij de Dionyſio ſententiam deprehendas.

CAPVT

CAPVT III.

Veterem Eccleſiæ Gallicanæ traditionem duos Dionyſios agnouiſſe veterum Martyrologiorum teſtimonio comprobatur.

QVAMQVAM ex iis quæ à Sulpicio Seuero, & à Gregorio Turonenſi ſcripta vidimus, alium ipſorum & Galliæ iudicio Athenis, alium Pariſiis Dionyſium fuiſſe patet: quia nec martyria Seuerus intra Gallias ſub M. Antonino cœpiſſe doceret, ſi Areopagitam tantò antiquiorem Pariſiorum Epiſcopum fuiſſe crederet, aut credi videret: nec Dionyſij Pariſienſis aduentum Decij temporibus adſcriberet Gregorius, niſi hunc ab Attico diuerſum & haberet ipſe,& ab aliis haberi noſſet. Quamquam aperta, inquam, his auctoribus & perſpicua res eſt: tamen ſi teſtes quæruntur, qui duos Dionyſios diſertis verbis pronuntient, teſtes damus Eccleſias omnes Gallicanas, & quotquot in his olim Pontificales cathedras tenuerunt. Qui ore vno ſi loquantur omnes, de Dionyſiis quid ſenſerint Eccleſiarum ſuarum Martyrologiis ſe teſtatos reſpondebunt. In his enim Pariſienſem ab Areopagita diſtingui, & alterum v. Nonas Octobres, alterum VII. Idus celebrari. Vidimus ipſi paſſim non pauca, viderúntque pro nobis alij pluribus in locis. Nullum vſquam obſeruatum eſt, in quo diſcrimen idem non eluceat. Diſcrepant illa interdum, (de antiquioribus loquor) pau-

Digitized by Google

culis vocibus vel adiectis, vel omiſſis, ſed quæ ſenſum minimè corrumpunt. Nos exemplaria ſequemur, quæ quo ſimpliciora hoc ſinceriora viſa ſunt. De Areopagita igitur ſic habent. v. NONAS OCTOBRIS. *Natale Sancti Dionyſij Epiſcopi & Martyris. qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis, in eo opere quod de Chriſtiana religione compoſuit.* De Pariſienſi verò in hæc verba. VII. IDVS OCTOBRIS. *Apud Pariſium natale Sanctorum martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici Preſbyteri, & Eleutherij Diaconi. Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, præfatam vrbem deuenit. Vbi per aliquot annos commiſſum ſibi ſollerter & ardenter opus perſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Hîc ego vos nunc appello, qui duos Dionyſios confunditis, cùm Martyrologiorum huiuſmodi referta ſit Gallia, duplicémque Dionyſium reſonent, tum Epiſcopales Eccleſiæ omnes, atque ipſa Pariſienſis, tum aliæ, in quibus diuerſorum ordinum ſunt collegia, & reliquæ vniuerſæ, ecquem ſanæ mentis præter vos futurum ſperetis, qui hanc olim veram ac germanam Gallorum traditionem fuiſſe neget, quam Martyrologiis ſuis inditam voluerunt, publicáque in diuinis officiis & quotidiana recitatione profeſſi ſint? Equidem ſi hoc tergiuerſari non eſt, quid ſit lucem meridie quærere non intelligo. Attamen non deſunt ingenioſis hominibus argutiæ, quibus Martyrologia inter-

Digitized by Google

pretari aut eludere ſe poſſe confidant. de quo mox viderimus. Quæro interim, cur vnum ſibi Vſuardum præcipuè infeſtum putent. *Ponamus,* aiunt, *Vſuardum aduerſari nobis. quid tanti denique eſt? ex corrupto Bedæ Martyrologio, vnde pleraque alia mutuatus eſt, mendum illud contraxit.* Sed cur huic vni, boni viri, ſuccenſetis? An neſcitis non vnius Bedæ id eſſe quod mendum peruersè appellatis, ſed omnium Galliæ Martyrologiorum? Cur igitur ſolus vapulat Vſuardus? cur in eius codice apud Sanctum Germanum veſtrum, quicquid de Athenienſi Dionyſio legebatur eraſiſtis? Aut Vſuardo parcite, aut Martyrologos omnes ſimiliter expungite ſi poteſtis. Quamquam inclementiùs tractare Martyrologia, cùm interpretari iudicio veſtro liceat, non debetis. Quænam ergo iſta eſt interpretatio veſtra? Non conſequens eſſe, vt duo ſint Dionyſij, cùm vnus idémque poſſit & Pariſiis & Athenis diuerſis diebus diuerſis nominibus celebrari. Palàm eſt. Quis non videt, non modò diſiunctis in locis, ſed in iiſdem, eorumdem Sanctorum diuerſas ſæpè feſtiuitates agitari? Alio die Stephani lapidationem coli, alio eius inuentionem? alio natiuitatem Ioannis, alio decollationem? alio Petri vincula, alio crucem memorari? Verùm hæc ad Dionyſij cauſam quid faciunt? Faciunt, inquis. Quòd enim Athenis Dionyſij Areopagitæ natalis agi dicitur, non ibi triumphaſſe intelligendum eſt, ſed triumphi Pariſiis acti commemorationem fieri. Et commodam nempe interpretationem hanc vocas? Quid ergo, ſi econtrariò, quia Dionyſium

Vindic. lib. 2. c. 4. pag. 97.

Vindic. lib. 2. c. 9. pag. 117.

Digitized by Google

vnicum vis eſſe, retorqueat in te quiſpiam, &
dicat, quòd Pariſiis Areopagitæ agi natalis di-
citur, non ibi actum triumphum ſignificari, ſed
acti Athenis triumphi commemorationem, quid
repones? quo te pacto defendes? quod diſcri-
men oſtendes? Nam vtrobique, vt vides, Na-
talis, hoc eſt recepti cælo Martyris diei nomen
eſt, vtrobique tormenta, vtrobique completum
martyrium. Itaque aut vtraque in vrbe mor-
tuum ſignificant, aut in neutra. In neutra tu
dicere non potes, qui in altera voluiſti. Ergo in
vtraque. Duo ergo ſunt, quia duobus in locis
mori vnus non poteſt. Quid quòd duos eſſe
diuerſa vltimi ſupplicij genera demonſtrant?
Nam Dionyſio noſtro, id eſt Pariſienſi, ceruici-
bus caput abſciſſum ſciunt omnes: Athenienſis
quâ morte ſublatus ſit, Latina quidem Marty-
rologia non docent. poſt grauiſſima enim tor-
mentorum genera glorioſo martyrio coronatum
narrant, quod extremum fuerit, non explicant.
At explicant Græcorum Synaxaria, quæ illum
flammis conſumptum ὡλοκαυτῶσθαι tradunt. Aut
vnum igitur, eundémque Dionyſium Pariſiis ca-
pite truncari, Athenis flammarum vi extingui
poſſe nos doce, aut duos in Galliæ Martyrolo-
giis diſtingui Dionyſios confitere.

CAPVT IV.

Hilduini & ſectatorum eius, qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt, noua opinio exploditur.

HACTENVS antiquam, ac proinde veram, de duplici Dionyſio maiorum noſtrorum traditionem expoſuimus: deinceps nouitiam, eóque nullam, vnicum affirmantium, quam pro traditione venditant expendemus. Quis enim hoc nomen iure tribuat fabulæ, cuius auctor & incentor Hilduinus Sancti Dionyſij Abbas agnoſcitur? Mandarat huic Ludouicus Imperator, vt Dionyſij Pariſienſis geſtorum hiſtoriam ex Græcis Latiníſque codicibus colligeret. Collegit, librúmque ſcripſit, cui titulus *Areopagitica*. Quo in libro primus omnium docuit Dionyſium Areopagitam Athenienſium Epiſcopum amore Pauli magiſtri ſui, quem Romæ vinctum acceperat, relictis Athenis & Epiſcopatu, Romam profectum, Romáque in Gallias prædicandi Euangelij cauſa miſſum eſſe. Vnum itaque eundémque Areopagitam cum Pariſienſi cenſendum eſſe Dionyſium. Quæ vt adſtruat, Ariſtarchos nobis & Visbios auctores nihili, chartáſque vt ait ex armario Pariſienſi vetuſtiſſimas, & Conſtantinianorum, ſi credimus, temporum Martyrologium ex abditis nouæ Romæ ſcriniis profert in lucem. Gregorium verò Turonenſem, qui diuerſa ſenſerit, ſimplicitatis accuſat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Vbi ego vos rurſus, Areopagi vindices, conuenio, vt ſimplicem Gregorium Hilduinus cur vocet interrogetis. Nam ſi quo ſenſu ſimplex & ſine fuco dici veritatis oratio ſolet, nomen amplector, Gregorij laus eſt, non contumelia. Sin hominem intelligit credulum & antiquum, qui parum conſideret quid credat ipſe, quid aliis credendum proponat, quæſo vos, vter ſimplicior, Gregorius an Hilduinus? Hilduinus, inquam, qui nec ſibi nec aliis conſentanea ſcribat, & tam bardos lectores ſuos exiſtimarit, vt quod de Dionyſio narrat crederent, illum, cùm amore Pauli, vt dictum eſt, Athenas Nerone adhuc ſuperſtite reliquiſſet, Romámque contenderet, in hac nauigatione annos xxv. velut oblitum Pauli, per obuias gentes prædicando poſuiſſe, ac Domitiani tandem anno x. perueniſſe? Alia ſunt eius notæ in illo libro plurima. Nihil enim, ſeu verba ſpectes, ſeu ſententias, Areopagiticis illis horridum magis & inſulſum. At tamen excepta eſt ingenti plauſu & gratulatione feſtiua narratio. Glorioſum quippe & illuſtre videbatur, tanti nominis Antiſtitem Gallorum Apoſtolum prædicari. Itaque cùm inauditum anteà & inuſitatum eſſet, Dionyſium noſtrum Areopagitam nuncupari, & Ludouicus ipſe Pius, ad Hilduinum de Dionyſio nuper ſcribens, id vocabulum ignoraſſet, Areopagitæ deinceps nomine perſtrepere & circumſonare omnia cœperunt, nihilque prætermiſſum, quo plauſibili fabulæ color & vires adderentur. Tunc igitur repentè nati, & ex tenebris eruti, cum Ariſtarcho & Visbio, Syncelli & Methodij, qui ſuffra-

gari viderentur. Quódque non leuioris flagitij fuit, corrupta exinde vel reiecta ſinceriſſima Martyrum noſtrorum Acta, quæ errorem apertè refellebant. Hinc Ratbertus, de quo ſuprà, eius temporis Abbas Corbeienſis, Rufini Valeriíque Hiſtoriam probam illam ac minimè dubiam, quòd aduerſaretur, falſi notâ confixit. Alij, poſtquam Dionyſium ſæculo ſuo eximi placuit, vt in Areopagitæ ſæculum transferretur, ſocios etiam eius aliquos transferre non dubitarunt: nec ſocios modò, ſed ipſum etiam, quo Præſide coronatus eſt, Siſinnium Feſcenninum. Nicaſium enim, qui primus ad Rothomagenſes deſtinatus Epiſcopus dicitur, ſub Feſcennino paſſum in eius Actis legentes, ſub quo paſſum conſtabat & Dionyſium, cùm Feſcennini tempus ex vera Dionyſij ætate diiudicari par eſſet, vbi de Dionyſio errarunt, de Feſcennino errare coacti ſunt. Sed Hilduini ſententiæ, vtpote magiſtri ſui & Abbatis, acerrimus in primis vindex & patronus fuit Hincmarus Remorum Antiſtes, qui hanc apud Carolum Regem cum toto apparatu aſſerere & perſuadere conatus eſt, nequicquam contrà reclamante Ioanne Erigena Scoto, cuius extat ad Carolum eumdem epiſtola, in qua ætatis illius hominum opinionem hanc fuiſſe docet, non veterum, qui de Dionyſio Areopagita meminerant. In fraudem quoque, quod mireris, inductus eſt Æneas Pariſiorum Epiſcopus, cui noui tituli ſplendor ariſit ſic, vt eum mox aduerſus Græcos ſcribens vſurparit, his verbis: *Æneas Pariſiacenſis vrbis Epiſcopus, quo primus præſedit S. Dionyſius à Paulo*

Apoſtolo Athenienſium conſecratus Archiepiſcopus, ſed à Clemente totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus, pacem & gloriam catholicæ fidei cultoribus. At bellè habet, quòd Æneæ facilitatem ſucceſſores eius ſecuti non ſunt, priſcámque & auitam de duplici Dionyſio traditionem, quam in Eccleſiæ ſuæ Martyrologio conſignatam habebant, retinendam cenſuerunt. Neque verò nunc, ſi audaculi cuiuſpiam manu eodem in Martyrologio Areopagitæ nomen adiectum vident, aut id genus alia tentari audiunt, libróſque immanes ad inſtaurandam Hilduini ſectam euulgari, de recta mente dimoueri propterea debent. Quis enim poſt Hincmarum, ſi eius quemquam mouet auctoritas, quis poſt illum inquam, qui primus ni fallor memoriæ id prodidit, Clodoueum Regem in peruigilio Paſchæ baptizatum non credidit? quis eo quòd Gregorius Turonenſis, quo nullus antiquior, diem non indicarat, certam & exploratam traditionem hanc eſſe dubitauit? Ceterùm falſam eſſe nuper ex Auiti Vienenſis ad Clodoueum ipſum epiſtola deprehenſum eſt, in qua Natalis Domini die ſacris vndis ablutum oſtendit. *Occiduis*, inquit, *partibus in rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat. Cuius ſplendorem congruè Redemptoris noſtri natiuitas inchoauit: vt congruenter eo die ad ſalutem regenerari vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ cæli dominum mundus accepit. Igitur qui celeber natalis eſt Domini, ſit & veſtrî: quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo.* Vt hoc exemplo liqueat, falli & fallere Hincmarum quàm procliue ſit. Quare quemadmodum de Clodouei baptiſmo,

Tomo I. Conc. Gall. pag. 155.

quod falsò ab Hincmaro literis eſt proditum, nulla vnquam Hincmaro adſtipulantium turba præſtare poteſt vt verum ſit: ſic in Dionyſij quæſtione, quamlibet numeroſa Hilduinum ſectantium ſint examina, nunquam efficient vt fabula non ſit, quæ ante Hilduinum fabula fuit: neque vt quam pro traditione venditant, legitima poſt Hilduinum traditio haberi debeat, quæ ante Hilduinum habita non fuit.

CAPVT V.

Dionyſij Areopagitæ tranſitum ab Epiſcopatu Athenienſi ad Pariſienſem Græcis omnibus ignotum olim fuiſſe, certis argumentis oſtenditur.

TRANSLATIONES Epiſcoporum, ſediúmque mutationes, vetus Eccleſiæ diſciplina in vſu non habuit, eaſdémque, ne frequentarentur, crebrò interdixit, vt Synodi Nicænæ Canone XV. & aliis quamplurimis. Epiſcopatum nempe matrimonij inſtar habere ſtatuebant, & adulterum videri, qui propria ſede relicta alteram appeteret. Apud Latinos quidem adeò religiosè quondam id obſeruatum eſt, vt annis propè nongentis inuiolata lex ſteterit, ac Formoſo Papæ crimini datum ſit, quòd poſthabito Epiſcopatu Portuenſi, quo anteà fungebatur, ad Romani apicem nouo exemplo conſcendiſſet: cùm ante illum quotquot Romæ ſederant Pontifices, ex Presbyteris & Diaconibus

allectos, nullum ex Epiſcopis adſcitum fuiſſe conſtaret. Apud Græcos verò, & Orientales, non eadem religio & conſtantia fuit. Tranſlationes enim huiuſmodi, etſi rariùs, ſubinde tamen vſurparunt. Quas vt defenderent qui vſurpabant, (nec enim deerant qui reclamarent) ſuperiorum temporum exempla congerebant, cum reſponſis Pontificum, qui licere docuerunt ſi quando neceſſitas aut vtilitas magna poſtularet. Itaque cùm Proclus è Cyzicena ſede ad Conſtantinopolitanam migraſſet, prolati ſunt in medium, quod apud Socratem lib. VII. cap. XXXV. videre eſt, Alexander ab vrbe quadam Cappadocum ad Hieroſolymitanam, Perigenes à Patrenſi ad Corinthiacam, Gregorius à Saſimis Nazianzum, Meletius à Sebaſte Antiochiam, Doſitheus à Seleucia Tarſum, Reuerentius ab Arcis Phœniciæ Tyrum, Ioannes à Gordo Lydiæ Proconneſum, Palladius ab Helenopoli Aſponam, Alexander ab Helenopoli rurſus ad Adrianos, Theoſebius ab Apamea Aſiæ Eudoxiopolim, Polycarpus à Sexantapriſtis Myſiæ Nicopolim Thraciæ, Hierophilus à Trapezopoli Phrygiæ Plotinopolim, Optimus ab Agdamia Phrygiæ Antiochiam Piſidiæ, & Siluanus à Philippopoli Thraciæ Troadem tranſlati. Quos eoſdem, Formoſi cauſam tractans, recitat etiam Auxilius in Libello, quem ad Leonem Nolanum Epiſcopum ſcripſit, cap. XXII. niſi quòd Germanum quoque addit, qui ab eadem Cyzico ad vrbem regiam, vt Proclus, poſt Socratis tempora tranſierat. Eoſdem ipſos, nec plures, in Decreti ſui prologo commemorat Iuo Carno-

tenſis. vt liquidò appareat, præter hos, vel nullos omnino ſedes olim permutaſſe, vel ignotos rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus fuiſſe. Quæ cùm ita ſint, iam ſentis, opinor, quò ſpectet, aut quas in te vires habeat hæc oratio. Eloquere igitur, nam iudicij tui rem facio, vt ſtatuas & pronunties, an credibile ſit, Dionyſium Athenienſem, ſi eum relictis Athenis Eccleſiam aliam rexiſſe perſuaſum Græcis fuiſſet, in tam exquiſito, támque accurato catalogo præteriri vel omitti potuiſſe. Quid enim? Tam obſcurum illis Dionyſij nomen credas fuiſſe, vt res eius ignorarent? aut tam obſcuras Athenas, vt qui Arcas Phœniciæ, & Gordon Lydiæ nouerant, principem Græciæ ciuitatem non noſſent? Quòd ſi contrà & Dionyſij & Athenarum illuſtre apud Græcos & celebre nomen erat, quid exploratius, quàm tranſlationis iſtius, quam Dionyſio affingunt, nullam olim apud illos famam aut ſuſpicionem fuiſſe? Quid quod falſam & fabuloſam eſſe Synodi Sardicenſis verba nos admonent? Adhibe aures animúmque, obſecro, & Hoſium in Canone primo loquentem attende. *Hoſius Epiſcopus dixit. Tam mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditus eradicanda eſt, vt non liceat Epiſcopum de ſua ciuitate ad aliam tranſire ciuitatem. Manifeſta eſt enim cauſa, qua hoc facere quis tentat: cùm nullus in hac re inuentus ſit Epiſcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem tranſiret, vnde apparet ambitioni eos ſeruire, vt dominationem exerceant.* Audis nullum ad eum diem inuentum eſſe Epiſcopum, qui de maiore ciuitate ad minorem tranſiiſſet? Catalo-

Digitized by Google

gum recognoſce, verè id ab Hoſio dictum agnoſces. Cui enim obſcurum eſt, Cyzico verbi gratia potiorem fuiſſe Conſtantinopolim, Sebaſte Antiochiam, Arcis Tyrum, Seleucia Tarſum, Saſimis Nazianzum? Compara nunc ergo cum Athenarum ciuitate Lutetiam Pariſiorum, non qualis & quanta nunc eſt, ſed quantula erat, non dicam Areopagitæ ſæculo, ſed trecentis quoque pòſt annis, cùm à Iuliano Cæſare πολίχνη hoc eſt vrbecula vocaretur: intelliges profectò, vel Hoſium Synodo, quod dici nefas, impoſuiſſe, cùm ad minorem ciuitatem tranſiiſſe quemquam negaret, vel Pariſiis Epiſcopum Dionyſium poſt Athenas non fuiſſe. Vis & aliâ ratione te doceant Græci, nullum ſe vnquam præter Athenas Dionyſij Epiſcopatum credidiſſe? Da hoc primum mihi, quod inficiari certè non potes, Epiſcopos, qui ab vna ſede ad alteram migrarent, poſtquam immigrarant, prioris ſedis nomine depoſito, poſterioris nomen adſciuiſſe. Quis enim Gregorium, poſtquam Saſima reliquit, Saſimorum Epiſcopum non Nazianzenum appellauit? quis Proclum, poſtquam in vrbem regiam tranſlatus eſt, Cyzicenum ampliùs nominauit? aut quis Procli epiſtolæ ad Armenios, non Conſtantinopolitani ſed Cyziceni titulum adſcripſit? Idem eſt de ceteris iudicium, neque opinor contradices. At vide nunc, cuiuſmodi olim apud Græcos Dionyſij Areopagitæ vel eius operum fuerit inſcriptio. Si Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum interroges, in epiſtola ad Honorium Papam reſpondebit, Διονύσιος ὁ μαθη-

τῆς Παύλου, καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, καὶ τῶν Ἀθηναίων Ἐπίσκοπος. *Dionyſius Diſcipulus Pauli, & Chriſti martyr, & Athenienſium Epiſcopus.* Si Ioannem Damaſcenum, libros de Imaginibus à ſe ſcriptos proferet, in quibus Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, Ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν. *Dionyſius Areopagita Epiſcopus Athenarum* nuncupatur. eodémque modo, ne te longa enumeratione teneam, ceteri vniuerſi. Nec Græci tantùm, verùm etiam Latini, vt oſtendam ſuo loco. Nunc enim de ſolis Græcis ſermo eſt, antiquioribus illis, quorum æuo ſcilicet nondum Syncelli & Methodij ſinceram hiſtoriam fabellarum adſperſione corruperant. Hos igitur cùm demonſtratum ſit, nec in Elencho Epiſcoporum, qui ſedes mutarunt, Dionyſium recenſuiſſe, nec aliud vnquam, præter morem illorum qui ad nouas ſedes migrabant, huius nomen vel titulum agnouiſſe, quàm Epiſcopi Athenienſis, cui dubium eſſe poteſt, quin certum ſit, antiquiores Græcos Dionyſij aduentum in Gallias, ſedíſque mutationem penitus ignoraſſe?

CAPVT VI.

Duos etiam Romæ diſtinctos olim fuiſſe Dionyſios, nec Areopagitam illum, qui Pariſiorum fuit Epiſcopus, appellatum.

DE veteribus Græcis & de Gallis dictum eſt, nunc de Romanis, quid de Dionyſio noſtro quondam ſenſerint, expendamus. Nec enim dubium eſt, ſi aduerſarios audimus, quin Areo-

Digitized by Google

pagitam exiſtimarint. Quibus autem argumentis? Miſſæ, vt aiunt, Romanæ & Martyrologij teſtimonio. Ecce, inquiunt, Romæ, cùm Dionyſij Pariſienſis diem agunt, in ipſo Miſſæ ſacrificio de Actibus Apoſtolicis ea recitant quæ Areopagitæ conueniunt; & vnum atque eundem Dionyſium hos eſſe, Martyrologium quo Roma nunc vtitur apertè profitetur. At quàm futilis & inanis ſit iſta ratiocinatio quis non videt? Nam ſi propterea quòd in Dionyſij noſtri Miſſa mentio fit Areopagitæ, confundi vtrumque volumus, quid vetat, quo minus, quia in Deiparæ Virginis Aſſumptione Euangelium Magdalenæ proprium vſurpatur, eandem vtramque Mariam fuiſſe contendamus? Quòd ſi abſurdum hoc eſſe ducimus, intelligimúſque Eccleſiam in illo Euangelio aliud nihil ſpectaſſe, quàm nominum ſimilitudinem, quis ſatis cautum putet eum, qui aliud in Dionyſij Lectione ſpectaſſe ſuſpicetur? Quare deſinant, ſi ſapiunt, hoc argutiarum genere ludificari: deſinant & de Martyrologiorum ſibi nomine blandiri. Quod enim ad ætatem vſque noſtram Martyrologium Romæ fuit, quo abuti ad errorem ſuum poſſint? Quæ vetuſtiſſima fuerunt, vt ipſimet agnoſcunt, & Baronius Cardinalis ex Sancti Cyriaci Codice confirmat, vnicum Dionyſium, qui VII. Idus Octobres colitur, commemorabant, id eſt Pariſienſem, de altero ſilebant. Non quòd vtrumque confunderent, abſit, nupera fuit hæc alucinatio: ſed quòd hunc vnum Romæ celebrari ſatis illo tempore videbatur. Vbi verò Areopagitam quoque in Martyrologium referri

Vindic. p. 85. 87.

Digitized by Google

placuit, ſuo illum die ſeorſim, hoc eſt v. Nonas Octobris adſcripſerunt, notíſque omnibus à noſtro diſcriminarunt. Itaque quòd in poſtrema Romani Martyrologij editione diſtincti non ſunt, nouitius error eſt, vt dixi, à Petro Galeſinio, vt ferunt, profectus: qui Hilduinianam ſecutus hæreſim, vt ex duobus Dionyſiis vnum conflaret, ea quæ de Areopagita v. Nonas legebantur, in VII. Idus tranſtulit, Pariſienſique adaptauit, & quod mirum eſt, cordatis hominibus, contra veterum exemplarium fidem, & contra Eccleſiæ Romanæ hiſtoriam omnem perſuaſit. Cui enim Romanorum Pontificum, vt de his potiſſimum dicam, venit vnquam in mentem, vt Dionyſium Pariſienſem Areopagitam appellaret, aut Areopagitam alio quàm Athenienſi Epiſcopatu functum ſignificaret? Stephanus II. inquiunt, à Dionyſio Pariſienſi morbo liberatus eſt. quis negat? Idem beneficij memor ædem ſacram Romæ in Dionyſij gratiam condere inſtituit, conditam Paulus Stephani frater & ſucceſſor dedicauit. Quid tum verò? An Dionyſium hunc vel Stephanus vel Paulus Areopagitam nominarunt? aut difficilius fortaſſe Stephano erat, cùm à Dionyſio Martyre ſe ſanatum ſcriberet, Areopagitæ nomen addere, ſi eundem credidiſſet, quàm Paulo fratri poſteà fuit, qui cùm Dionyſij Athenienſis libros ad Pippinum Regem mitteret, Areopagitæ opera ſe mittere nuntiauit? Euoluant ſcrinia ſua Vindices Dionyſiani, & Pontificum diplomata quotquot habent, à Zacharia, vnde ordiri ſolent, ad Innocentium vſque tertium excutiant, nuſ-

Vindic. p. 168. 169.

Concil. Galliæ Tom. 2. pag. 62.

quàm in his aliter, quàm *Sanctum Dionyſium martyrem*, & *Cœnobium Beati Dionyſij Martyris*, & *Abbates Beati Martyris Dionyſij* nuncupatos reperient. Euoluant & Romana, quódque in Græcis ſcriptoribus proximè obſeruabamus, id ipſum in Martino, Agathone, Hadriano Romanis Pontificibus animaduertent, quandocumque Dionyſij Areopagitæ opera laudant, Athenienſem Epiſcopum perpetuò ab his dici, nunquam Pariſienſem. quod fieri ſanè par erat, ſi relictis Athenis Pariſios immigraſſet. Martinum & Agathonem miſſos nunc facio, de quibus in Secretario V. Synodi Romanæ, & in ſextæ Synodi Actione IV. videre eſt. Hadriani ad Carolum Magnum de Imaginibus verba ſunt, *Sanctus Dionyſius Areopagita, qui & Epiſcopus Athenienſis.* Dicite, amabo vos. *Qui & Epiſcopus Athenienſis* cùm diceret, cur *& Pariſienſis* non addidit, ſi Pariſienſem quoque Antiſtitem credebat fuiſſe? De Innocentio III. autem, & de illa eius epiſtola, quam ex Tabulario veſtro depromptam inter ceteras edidiſtis, quodnam non inſulſorum hominum putatis eſſe iudicium? Teſtem nempe vòs domeſticum, ſed contra vos ipſos produxiſſe. Adeſte animis, & quibus verbis Abbatem quondam veſtrum, & monachos maiores veſtros alloquatur audite. *Vtrum glorioſus Martyr*, inquit, *& Pontifex Dionyſius, cuius venerabile corpus in veſtra requieſcit Eccleſia, ſit ille cenſendus, qui Areopagita vocatur, ab Apoſtolo Paulo conuerſus, diuerſæ ſunt ſententiæ diuerſorum. Quidam namque fatentur, Dionyſium Areopagitam in Græcia fuiſſe mortuum & ſepultum, aliúmque Dionyſium*

nyſium extitiſſe, qui fidem Chriſti Francorum populis prædicauit. Alij verò aſſerunt illum poſt mortem beati Pauli veniſſe Romam, & à ſancto Clemente Papa in Galliam deſtinatum, aliúmque fuiſſe qui mortuus eſt in Græcia & ſepultus. vtrumque tamen egregium in opere & ſermone præclarum. Nos, neutri volentes præiudicare ſententiæ, ſed veſtrum cupientes Monaſterium honorare, ſacrum Beati Dionyſij pignus, quod bonæ memoriæ Petrus ſancti Marcelli Cardinalis de Græcia tulit ad vrbem, vobis deuotè dirigimus: vt cùm vtriuſque reliquias habueritis, nulla de cetero remaneat dubitatio; quin ſacræ Beati Dionyſij Areopagitæ reliquiæ apud Monaſterium veſtrum habeantur. Fidem hîc ego veſtram interrogo, cuiuſnam Dionyſij reliquias à Petro Capuano Romam allatas è Græcia, & ad vos miſſas credatis ab Innocentio. Corinthium dicere ſoletis. Sic enim loqui vos oportebat, ne Areopagitam fateremini. At quis vobis Oedipus de Corinthio renuntiauit, cùm Innocentius non explicet? Deinde quî conuenit, vt delato ad vos Dionyſij Corinthij corpore, Areopagitæ corpus apud vos ſine dubitatione futurum dicat Innocentius, ſi apud vos antea non erat? Quòd ſi Areopagitæ, vt apparet, corpus id erat, non Corinthij, liquet profectò, Areopagitæ reliquias Innocentij beneficio apud vos nunc eſſe, Pariſiorum autem, ad quos niſi mortuus non venerit, Epiſcopum non fuiſſe.

CAPVT VII.

Quàm abſurdis ſe dictis implicent qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt.

SECVROS ſe alieni iudicij demonſtrant, qui Areopagitam Gallis ingerunt, dum aliis ea perſuadere ſtudent, quæ ſi ab aliis dicerentur, abſurda ipſi & incredibilia iudicarent. Primùm enim, quale eſt, quòd Dionyſium octogenario maiorem veniſſe docent in Galliam? Hoc enim agnoſcant neceſſe eſt, qui Areopagitam, quem Chriſto Domino annis non ampliùs octo iuniorem faciunt, à Clemente Papa miſſum ſtatuunt, quem qui minimum dicunt, anno Chriſti nonageſimo Pontificem creatum narrant. Quis autem muneri Apoſtolico, tantíſque itinerum laboribus imparem fuiſſe hanc ætatem non videt? Hi verò tantùm abeſt vt Dionyſij viribus grauem peregrinationem iſtam duxerint, vt alias inſuper adiiciant: & quaſi parum eſſet, id ætatis hominem ab vltima Græcia profectum, Italiam, Galliámque vniuerſam peragraſſe; poſt hæc etiam Hiſpaniam adiiſſe volunt, atque in Aſiam quoque, Ioannis Euangeliſtæ viſendi gratiâ, Epheſum nauigaſſe poſt reditum eius ab exilio, Nerua iam imperante, hoc eſt eo tempore, quo Dionyſius, ſi ſuperſtes erat, nonaginta vitæ annos exceſſerat. Quam ergo ab eis fidem iſta, ſi à nobis dicerentur, impetrarent? Nullam pro-

Digitized by Google

fectò. Et tamen, quia ipſi auctores ſunt, exigunt vt credamus. Quàm abſurdum eſt rurſus, quod de triplici Areopagitæ nomine nugantur, cùm Macarium Dionyſium Ionicum appellatum tradunt, & adſtipulatorem dant Methodium ſuum, auctoris vanitatem vel hoc indicio redarguentes? Quale eſt enim, vt Græcus homo gentis ſuæ morem ignorarit, neſcierítque Græcos olim vnico nomine, non pluribus vti conſueuiſſe? Sed pluribus iam tum vſos concedamus: quis nouum nomenclaturæ genus non rideat, in quo proprium hominis nomen, nec primo loco poſitum ſit, vt ſtante Republica ſolebat, nec vltimo, vt poſteà mos fuit, ſed in medio, quod nuſquam gentium vſurpatum docebunt? Macarium præterea & Ionicum in Dionyſij nominibus numerant: nec vident, ſi Dionyſij nomen ſit Macarius, Theodoreti futurum, quem libri omnes μακάριον Θεοδώρητον honoris cauſa vocant. Quòd ſi Macarij titulus nomen facit, cur Sanctorum & Beatorum titulis quos ornamus, in his propria hæc nomina non erunt? Ionicum etiam à patria dici, & patriæ titulum pro nomine venditari qui audit, quid aliud expectat, quàm vt Pauli quoque nomen Tarſenſem, & Petri Galilæum, & Hieronymi Stridonenſem, & alia id genus omnia credere iubeatur? Ridicula igitur & inſcitiæ plena hæc Dionyſij nominum deſignatio, quam & ipſi meritò, ſi à nobis proferretur, exploderent. An non pariter explodendum eſt, quòd Clementem Papam fingunt Pontificalem cathedram bis tenuiſſe, ſemel ſub Nerone, iterum ſub Domitiano? Etenim quia

Digitized by Google

Dionyſium Athenienſem in Galliam migraſſe qui pugnant, in eo conſpirant, quòd à Clemente miſſum tradunt, de tempore non conſentiunt, cùm alij ſub Nerone, alij ſub Domitiano miſſum velint, inuenti ſunt qui ſcito ac lepido commento diſcrepantia conciliarent, & non ſolùm Clementem bis ſediſſe, ſed Dionyſium etiam bis ab eo in Galliam legatum dicere non dubitarent. Fuerunt, inquiunt, qui Clementem poſt Petrum mox ſediſſe dicerent. Fuerint ſanè. An vllus vnquam fuit, qui quod vos fabulamini affirmaret, Clementem ſuſcepto poſt Petrum Pontificatu, eóque ad breue tempus adminiſtrato, abdicaſſe, Linóque tradidiſſe, tum iterum denuò, poſt Cleti, qui Lino ſucceſſerat, interitum, priſtinam ſedem Domitiani temporibus repetiiſſe? At hoc ita credi neceſſum eſt, ſi verum eſt quod illi aiunt, Clementem Petro proximum ſucceſſiſſe. Immo verò, quàm falsò id illi putent, hinc animaduertere vos par erat, quòd verum id eſſe non poſſit, ex quo tam abſona conſequantur. Sed vobis ſcholæque veſtræ nihil mirum ſapere omnia, quæ ad condiendam Hilduini fabulam facere videantur. Quis Græcos credat, poſtquam errorem imbiberunt, eò abſurditatis delatos, vt Dionyſium ſcriberent, poſt martyrium mortémque ipſam in Occidentem perueniſſe? Græcorum ſanè Menæa, libróſque alios, variis aſſumentis, quæ fabulam fulcirent, labefactatos nemo neſcit: ſed Synaxarij, vt vocant, proprium hoc eſt opinor quod dixi. Cuius ego verbis, vt in antiquis membranis extant, de meo nihil addam: ſi quid breuitatis

Digitized by Google

cauſa ſubtraxero, nihil officiet narrationi. Sic igitur habet die III. Octobris. Αθλησις τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, Επισκόπου γενομένου Αθηνῶν, Διονυσίου τοῦ Αρεοπαγίτου. ὃς τοῦ θείου Παύλου τοῦ Αποστόλου κηρύξαντος ἐν Αθήναις, ἐπέγνω τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἐπίστευσεν εἰς Χριστόν· καὶ χειροτονεῖται παρ' αὐτοῦ Επίσκοπος Αθηνῶν. οὗτος ὁλοκαυτοῦται ἐν πυρὶ συλληφθεὶς ὑφ' Ελλήνων, συγκατακαέντων αὐτῷ καὶ τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων. Καταλαβὼν δὲ τὰ Εσπέρια ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομετιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος, μετὰ τὸ ἀποτμηθῆναι, τὴν κεφαλὴν χερσὶν ἰδίαν ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε. σὺν αὐτῷ δὲ Ρουστικός τε καὶ Ελευθέριος τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν. *Certamen ſancti patris noſtri Epiſcopi Athenarum Dionyſij Areopagitæ, qui diuino Paulo Athenis concionante veritatem agnouit, & credidit in Chriſtum, Athenarúmque Epiſcopus ab eodem creatus eſt. Hic ab Ethnicis comprehenſus flammis conſumptus eſt, libris eius vnà concrematis. Ad Occidentem verò profectus regnante Domitiano, multis editis miraculis, capite cæſus cùm eſſet, ſuum ipſe caput manibus excipiens, ad duo vſque millia paſſuum progreſſus eſt. Caſi autem cum eo ſunt Ruſticus & Eleutherius.* Quis non ſuccenſeat Synaxarij huius auctori, qui tam inepta & ſecum pugnantia literis mandarit? Ego verò illi gratiam præ ceteris habendam cenſeo. Ceteri enim, Syncelli, Methodij, Metaphraſtæ, Menologi, quia de Athenienſi Areopagitæ martyrio ſilent, vitæque & geſtis Areopagitæ mortem Dionyſij Pariſienſis accommodant, colorem addunt figmento Hilduiniano, qui Græcos ait Dionyſij mortem, quòd apud illos non occubuiſſet, ignoraſſe, & à Latinis didiciſſe. Hic ve- *Areopagitic. p. 70.*

rò, dum de Dionyſij Areopagitæ occaſu quid haberent Græcorum monimenta non diſſimulat, eúmque Athenis martyrio perfunctum bona fide teſtatur, & ab Hilduini nota Græcos abſoluit, & Hilduinus idem cum ſuis, qui Dionyſium Pariſienſem Areopagitam faciunt, quam fidem mereatur oſtendit.

CAPVT VIII.

Dionyſium Areopagitam non ſub Traiano vel Hadriano, ſed ſub Domitiano martyrium feciſſe.

ADMONENT quæ modò recitata ſunt verba Synaxarij, vt de Areopagitæ obitu, quæ in tempora inciderit, accuratiùs diſquiramus. Iam enim præfati anteà ſumus, diſcrepare hac de re ſententias, dum aliis ſub Hadriano paſſum placet, aliis ſub Traiano, aliis, quod certius nobis videri dicebamus, ſub Domitiano. Cur autem hanc in partem eamus, illa nos maximè cauſa mouet, quòd hanc & Græcorum & Latinorum antiquiſſimam fuiſſe traditionem non ambigimus, Dionyſium quippe Areopagitam Domitiani iuſſu martyrio affectum ſcribit in eius vita Metaphraſtes. Eundem ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως, Domitiano imperante cæſum affirmat Methodius. Sed hoc inter ambos diſcrimen, quòd Methodius, Hilduini errore abductus, diem morti Areopagitæ adſcribit illum, qui Pariſienſi congruebat: Metaphraſtes verò, etſi in eadem fuit

Digitized by Google

hæreſi, verum tamen obitus Areopagitæ diem, id eſt tertium Octobris retinuit, quem in antiquis monimentis repererat. Nec diuerſa Synaxarij noſtri eſt ratio. Nam qui Domitiano regnante ad partes Occidentales veniſſe Dionyſium, & poſt mortem ſuam veniſſe narrat, is niſi ante Domitianum occubuiſſe illum credat, quod nemo dixerit, ſub Domitiano mortuum proculdubio ſignificat. Apud Latinos rurſus eandem olim de Areopagitæ obitu traditionem extitiſſe, nec Hilduinus ipſe, cuius potiſſimùm intererat, diffiteri aut diſſimulare potuit in Areopagiticis. Anno enim Domitiani Cæſaris vltimo paſſum ſcribit. Ratbertus verò Corbeienſis Abbas, in vita Sanctorum Rufini & Valerij, etſi de anno diſcrepat, & ad ſecundum Imperij annum refert, adeò tamen exploratum cenſuit illum ſub Domitiano paſſum eſſe, vt Rufinum & Valerium propterea neget Dionyſij comites dici poſſe, quòd longo pòſt interuallo martyrium ſub Diocletiano perpeſſi ſint. Sed Ratberto danda eſt venia, qui quod verum erat ideo negandum credidit, quia quod falſum erat pro vero habuit, Dionyſium ſcilicet noſtrum ab Areopagita non diſtingui. Ceterùm quin Domitiano regnante oppetierit Areopagita, minimè dubitabat. Quæ cùm ita ſint, quo loco habendos dicemus eos, qui Traiani vel Hadriani temporibus paſſum volunt? De Traiano quidem, Syncello & Suidæ, qui affirmant, facile eſſet in quo fallantur oſtendere. Sed quoniam Hadrianum malle Vindices noſtros video, in eóque conniti vt ſub Hadriano paſſum doceant, danda nobis præci-

puè eſt opera, vt incaſſum hoc illos contendere oſtendamus. Quoſnam igitur doctrinæ ſuæ auctores prædicant? Bedæ & Adonis, atque alia quædam Martyrologia, in quibus ſub Hadriano principe coronatus dicitur Dionyſius, reique aſſertor & teſtis laudatur Ariſtides. Equidem, ſi ab Ariſtide hoc teſtatum liqueret, nihil haberem, quod tanti viri auctoritati fideíque opponerem. Sed illum ego non modò tale nihil dixiſſe, ſed nec dicere potuiſſe mox euincam. Interim quid interpolata & corrupta nobis Martyrologia prò ſinceris adferunt? Adonis, inquiunt, v. Nonas Octobris verba ſunt: *Natalis Sancti Dionyſij, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Hadriano principe, poſt clariſſimam fidei confeſſionem, poſt grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatur, vt Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis teſtis eſt in eo opere, quod de religione Chriſtiana compoſuit.* Quin ab Adone Vienneſi hæc ita concepta ſint, non inficior. Sed cum his, ſi placet, antiquiora illa Galliæ Martyrologia, Pariſienſe, Niuernenſe, Cabilonenſe, Sueſſionenſe, Veromanduenſe, Meldenſe, & alia paſſim, cum quibus omni ex parte conſentit Adone antiquior Vſuardus, comparemus. Horum verba iam ſuperiùs protulimus: ſed eadem iterum hoc loco repeti eſt operæpretium. Sic enim ſe habent. v. *Nonas Octobris. Natale Beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, & poſt grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur*

Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiáque mirabilis in eo opere quod de Chriſtiana religione compoſuit. In his vetuſtioribus ſimplicioribúſque, ac proinde verioribus, Hadriani nominis, vt vides, nullum eſt veſtigium. Quod igitur poſteà intruſum eſt, quis per errorem ab iis factum dubitet, qui ad principatum, ſub quo vixit Ariſtides, Dionyſij martyrium tranſtulerunt, & Ariſtidem additione ſua teſtem fecerunt, non ſolùm tormentorum Dionyſij, quod res erat, verùm etiam exantlati ſub Hadriano martyrij, quod ille niſi falsò non diceret, vt diceret autem adduci opinor non potuit. Quid enim? an neſciebat Ariſtides, Quadratum, qui eodem tempore, quo ipſe Apologeticum pro Chriſtianis Hadriano Principi Athenis hyemanti dedit, & oratione illum coràm affatus eſt, & librum quoque pro noſtra religione compoſitum porrexit, tertium à Dionyſio Athenienſis Eccleſiæ Antiſtitem fuiſſe, ſucceſſorem, vt Dionyſius alter Corinthiorum Epiſcopus teſtatur; Publij martyris, qui Dionyſio Areopagitæ ſucceſſerat primo Athenienſium Epiſcopo? Ergo ſi tertius à Dionyſio Quadratus, ſi inter vtrumque Publius, quis tam iniquus rerum æſtimator, vt cùm Athenas anno imperij ſui ſexto veniſſe Hadrianum, ibíque hyemem exegiſſe Euſebius in Chronico doceat, & aduerſarij conſentiant, nimis anguſta Dionyſij & Publij martyrio, Quadratique initiis ſpatia, intra quinquennium concludi non ſentiat? Quanto igitur congruentius, quantóque veriſimilius, non modò Dionyſium, ſed ne Públium quidem, qui Dionyſio ſucceſſit,

ſub Hadriano paſſum dicerent, ſed ſub Traiano, cuius grauiſſima & ſæuiſſima memoratur perſecutio, ex qua natus videri queat tantus ille terror & conſternatio Athenienſium Chriſtianorum, quos narrat idem Epiſcopus Corinthiorum, ad defectionem vi procellæ propè abductos, ſtudio pòſt & induſtria Quadrati, qui Publio ſucceſſerat, in viam rediiſſe, priſtinúmque fidei ardorem recepiſſe? Ad hunc enim modum plana & diſtincta fixáque erunt omnia. Nam & Quadratum, quod in confeſſo eſt, Hadriano principe floruiſſe, & deceſſorem eius Publium ſub Traiano martyrium conſummaſſe, iuſtúmque ad ea quæ retulimus ſpatium interceſſiſſe, & quod caput eſt, Dionyſium Areopagitam, cui Publius ſucceſſit, non ſub Hadriano vel Traiano, ſed ſub Domitiano, vt dictum eſt, vitam poſuiſſe conſtabit.

CAPVT IX.

Dionyſium Apoſtolum Pariſiorum dici poſſe, non Gallorum. Sulpicij Seueri reſumpta defenſio, & auctorum qui ei opponuntur explanatio. Epilogus diſſertationis.

QVOTVSQVISQVE eſt hoc tempore, qui Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum Gallorum Apoſtolum non vocet? quotus autem quiſque eſt, qui appellationis huius cauſam edere, niſi falſam, aut teſtem proferre, niſi fictum &

ſubornatum qui poſſit? Apoſtolos enim ſi dicimus eos, qui Chriſtum genti cuipiam ac populo primi adnuntiarunt, cùm diuerſis Galliæ gentibus diuerſi, alij aliis Chriſtianam fidem intulerint, aut ex æquo Apoſtoli Gallorum dici omnes debent, quòd in aliqua Galliæ gente omnes prædicarint: aut ſi verè ac propriè loquendum eſt, ſuæ quiſque gentis, cui operam nauauit, Apoſtolus eſt nuncupandus, vt Turonum Gatianus, Saturninus Toloſatum, Aruernorum Auſtremonius, Martialis Lemouicum, Dionyſius noſter Pariſiorum. Quibus ſe finibus ſi continerent Areopagitici, etſi auctorem fortaſſe idoneum, qui hoc illum nomine exornarit, haberent nullum, nemo tamen illos facilè reprehendendos putaret. Verùm hæc illis anguſta nimis viſa eſt laudatio. Quærenda nimirum illuſtrior & maior illecebra fuit, quæ tantum virum è ſinu Græciæ abduceret, pelliceretque in Galliam. Quare ne priſtinam ſedem gratìs eiuraſſe videretur, & Athenas Lutetia inconſultò permutaſſe, ampliſſimam illi honorificentiſſimámque legationem in Vrbe decretam volunt. primùm vt Galliæ præeſſet vniuerſæ, deinde vt vicinæ quoque Hiſpaniæ, ac reliquo, ſi hos audias, Epiſcopos daret Occidenti. Sed quæſo vos, de Pariſiorum Dionyſio quî poſſunt iſta fingi, quem Decianis temporibus in Galliam veniſſe compertum eſt? aut in alium quenquam Gallorum Epiſcopum conuenire quî poſſunt, ſi religionem Chriſtianam Galli ſeriùs, Seuero teſte, ſuſceperunt? Niſi fortè ad carceres nobis

poſt emenſa ſpatia redeundum eſt, vt verè hoc illum pronuntiaſſe iterum doceamus, & vniuerſa illa, quæ in operis ſui fronte contra Seuerum ex antiquis ſcriptoribus congeſſerunt, friuola atque inania eſſe, nec Seuero refragari oſtendamus. Quid enim in his tandem eſt quod repugnet? Seuerus Dei religionem ſeriùs trans Alpes ſuſceptam ſcribit, quis reclamat?

Vindic. pag. 3. Clemens aiunt Romanus, qui Paulum ad Occidentis terminos concionando perueniſſe docet. Quid tum verò! An Paulum in Galliam penetraſſe narrat? aut in Occidente Paulum iſti negant fuiſſe, cùm Romæ eſſet, & Romæ vitam fidei cauſa profunderet? Iuſtinum rurſus, Hegeſippum, & Euſebium, Chriſti fidem

p. 4. 5. 6. per omnes gentes diffuſam affirmantes commemorant, ſed in caſſum. quippe qui aut de Gallia non loquantur, aut ſi Galliam quoque comprehendant, ad illa tempora ſpectent, quibus ſuſceptam in Gallia Chriſti fidem Seuerus non negat. Tertullianum addunt præ-

Myſtic. Gall. Scrip. pag. 912. terea, qui Chriſti nomen in Gallia ætate ſua regnaſſe teſtatur. Teſtatur ſanè, ſed quo tempore? Seueri nimirum principatu. Multis ergo pòſt annis, quàm à Seuero ipſo, quem oppugnant, Athanacenſium martyrum deſcripta mors eſt. Quid igitur nos docere opus erat regnaſſe in Gallia Seueri Cæſaris ætate Chriſti nomen, pro quo ſanguinem iam antè in Gallia tot Martyres fudiſſe memineramus?

pag. 909. Quin & Irenæum quoque Celticas Eccleſias celebrantem proferre audent in medium. Ri-

diculè profectò. Nam ad adſtruendam contra Seueri adſertionem Gallorum religionis antiquitatem Irenæi verba quid faciunt, ſi Eccleſias Irenæus non alias laudat, quàm quas vel ipſemet nuper, vel eius deceſſor Photinus Lugduni, viciniſque in locis, Seuero teſte fundarant? Quòd ſi, vt tandem aliquando concludamus, ne in his quidem, quæ validiſſima ducebant, eóque prima in acie collocarant, quicquam habent præſidij, ecquem ipſi demum cauſæ ſuæ contentioniſque exitum expectant? Cùm Dionyſium noſtrum Athenienſi poſteriorem, ac longo re ipſa poſt illum interuallo extitiſſe didicerint: cùm diuerſum vtrumque, duóſque prorſus à maioribus noſtris diſtinctos fuiſſe Dionyſios, ex veterum Martyrologiorum conſenſu probatum ſit, reiectáque Hilduini Abbatis, qui Pariſienſem cum Areopagita confundit, & exploſa ſententia: cùm Areopagitæ denique ab Epiſcopatu Athenienſi ad Pariſienſem quam fingunt tranſlationem, Græcis omnibus Latiniſque ignotam olim fuiſſe oſtenderimus: quid hîc aliud æquos iudices pronuntiaturos ſperant, quàm vt ſua cuique iura maneant, & Dionyſium ſuum Athenienſes retineant, ſuo contenti ſint Pariſienſes, & Vindices iſtos, qui gloriam in alieni vſurpatione ponunt, valere deinceps ac tacere iubeant: vt qui priſcæ ſanctæque maiorum traditioni veterum omnium ſcriptorum teſtimonio confirmatæ, nouitiam nulláque vllius nominis auctoritate nixam opinionem temerè antepo-

nant , & geſtientem in publicum prodire veritatem in tenebris detinentes erubeſcere cogant : quia, vt ſcitè olim à Tertulliano contra Valentinianos dictum eſt , NIHIL VERITAS ERVBESCIT , NISI SOLVMMODÒ ABSCONDI.

FINIS.

Digitized by Google

IOANNIS
LAVNOII
PARISIENSIS
THEOLOGI
DE AREOPAGITICIS HILDVINI
IVDICIVM.

Secunda editio correctior & auctior.

Digitized by Google

Sanctus Paulus in epiſtolæ 1. ad Theſſalonicenſes capite v.

Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.

Sanctus Auguſtinus in libri de Vera Religione, cap. LV.

Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt. & poſt alia.

Melior eſt vera ſtipula, quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.

AD

Digitized by Google

AD IOANNEM CHICOTVM MEDICVM REGIVM

PRÆFATIO.

QVONIAM quidem, VIR CLARISSIME, deſiderabas nuper noſtrum de Hilduini Areopagiticis Iudicium, feciſti, vt illud rurſus typis mandaretur. Dicebas id genus operis nec vidiſſe vnquam, nec inuenire te potuiſſe. Scilicet exemplaria, quæ anno M.DCXLI. prodierant in lucem haud multa, diſtracta iamdiu fuerunt. Itaque pro more ſecundarum editionum correctius inuenies & auctius. Quo modo magis, opinor te, quàm antea delectabit: ſiquid tamen ſit in nugis meis, quod aliquando delectare

Digitized by Google

te poſſit. Vix enim ea tracto, vix ea diſcutio, quæ vel ingenij acumen vel iudicij tui acrimoniam fugerint. Hippocrates, Galenus, Auicenna, vniuerſa Medicorum Schola non continet animum tuum. Profeſſio intra optimarum artium ſtudia fere nulla eſt, ad quam aditus tibi faciles non comparaueris. In huius argumento, quod eſt præ manibus, excellis. In editione prima cenſuram Areopagiticorum breuiter perſtrinxi; nunc paullo longiùs diduco, & in plures illorum partes diligentiùs inquiro. Hoc operæpretium eſſe duxi, ſiue quia cetera, quæ intacta dimiſeram, vera exiſtimari poſſent, ſiue quia indagandæ eo pacto & aſſerendæ veritati & pietati magis conſulitur, pietati dico; quoniam, vt ait Innocentius III. *falſitas tolerari non debet ſub velamine pietatis*, ſiue tum demum quia Hilduinus Gallorum omnium primus deriuatam ab origine prima traditionem interturbare, & commenta ſua poſteris imponere eſt auſus. Quo in negotio Abbas aulæ, quàm cellæ deuinctior, gratia & auctoritate, qua plurimùm apud Ludouicum Pium, indéque apud multos Antiſtites valuit, abuſum eſſe ſine difficultate vlla cognoſces. In Hil-

duino igitur tanquam in fundo reſidet quidquid Imperatoris huius ætate ad vindicandum Galliæ Dionyſium Areopagitam edi proferrique in medium potuit, ſiquid tandem potuit, quod ab omni tergiuerſatione & falſitate ſolutum & liberum foret. Expeditis Hilduini ſcriptis accedo ad Hincmarum Remenſem Epiſcopum, qui nutritori ſuo (Hilduinum ita vocat) ſuppetias venit. Laborabat ſine dubio & periclitabatur noua opinio, quam Hincmari alumnus induxerat. Complures in antiqua traditione perſeuerabant, nec ab ea Hilduini vel commentariis, vel potentia, quam homo ad artes monaſticas & aulicas iuxtà callidus rationum loco adhibuerat, dimoueri poterant. Hinc accidit, vt diſcipulus magiſtri cauſam adiuuare ac tueri, & quod magiſter nequiuerat, perficere conſtituerit. Conſtituit quidem, ſed omnino fruſtrà. Nam in epiſtola, quam ad Carolum Imperatorem ſcribit, nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis obiicit, quo rem inchoët, adeò non ad exitum perducat. Adfert multa, quæ Hilduinus non adtulerat, ſed adferentis auctoritate ſola nituntur: Maiorum carent teſtimonio quod legatur. De re-

bus antiquis ſine antiquiorum ſponſione diſputat, atque vt artificium ſuum occultet, axioma hoc prætexit: *Veritas ſæpius exagitata, magis ſplendeſcit in lucem.* Verùm artificij ſuſpicio imminuit & diſputatoris auctoritatem & diſputationis fidem. Expendo ſingula propemodum Epiſtolæ momenta, & quid in eis inſit veri, quid falſi demonſtro. Tuum erit iudicare, num ſcopum attingam. Ceterùm in Hilduini Areopagiticis, & Hincmari epiſtola non huius vnius, ſed plurium quæſtionum hiſtoricarum cardo vertitur. Nam ſi ſcriptores hi duo aſſequuntur quod intendunt, inprimis ratum erit, Dionyſium Areopagitam Athenis Romam, Roma Lutetiam immigraſſe, & per totam Galliam Apoſtoli munus obiiſſe; deinde conſtabit quidquid poſteri illorum monumentis innixi de reuocanda multorum Antiſtitum ad Areopagitæ tempus epocha tradiderunt: Si deflectunt & aberrant à propoſito, vt contendimus, Hilduini, Hincmari & ſectatorum conſilia πάντα οἴχεται, & commentarij ac diſceptationes in vagum puluerem fatiſcunt. Cùm in iſto certaminis genere ſint illi principes, quid alterutram in partem ſentiendum ſit, velint

Digitized by Google

nolint, omnibus præſcribunt. Hîc Rhodus hic ſaltus, in quo exploranda & præſtanda eſt Hilduini & Hincmari fides. Hîc eſt denique, vt ita dicam, æquitatis campus, in quo vincent illi, aut vincentur, & veritas triumphabit. Tu circunſpectis rebus omnibus, ſubductíſque rationibus ſummam facies, & pro tua ſapientia & iuſtitia veritati triumphum decernes. Ex editione prima multa ſuſtuli, ne repeterem, quæ iam in aliis operibus meis reperiuntur. In horum locum longè plura cùm ex Hilduini Areopagiticis, tum ex Hincmari epiſtola ſuffeci. Vtrumque hoc præmonendum fuit, ne quis meum in editione ſecunda conſilium ignoret, & niſi gratum habeat, ſaltem minùs accuſet. Tu verò, VIR OPTIME, æqui boníque conſule.

DE AREOPAGITICIS HILDVINI *IVDICIVM.*

1\. CVM primis iam tum fere Eccleſiæ temporibus ſua quidam ſomnia, & incertas Sanctorum memorias pro veris venditarint, nemo prudens ignorat, quantus in diſquirendo labor, quantum in diſcernendo iudicium, quanta demum in aſſerendo debeat eſſe fides illius, qui in recenſendis, aut vindicandis Sanctorum agonibus occupatur. Etenim ſi labor in diſquirendo deſit, aliorum lucubrationes quibuſdam immutatis vocibus, ſed inerudito plagio tranſſcribentur; ſi iudicium in diſcernendo, hinc alia inter ſe pugnantia, inde multa inconſideratè ab aliis dicta rurſus dicentur; ſi fides in aſſerendo, pleraque falſa pro veris aſſerta ingenti partium ſtudio nouæ memoriæ prodentur. Huc Laodicenſe Concilium ſpectat in Canone XXXIV. *Quòd omnem Chriſtianum non oporteat deſerere martyres Chriſti, & ire ad pſeudomartyres; Id eſt, hæreticorum, & quos ipſos conſtet hæreticos extitiſſe: Hi namque*

Digitized by Google

ſunt alienati à Deo; ſint igitur anathema, qui ad tales acceſſerint. Huc beatus Martinus Turonenſis Epiſcopus ſpectat, de cuius prudentia, labore & fide Sulpitius Seuerus ita loquitur in libri de vita illius capite VIII. *Sed vt reliquas virtutes eius, quas in Epiſcopatu egit, aggrediar, erat haud longè ab oppido proximus monaſterij locus, quem falſa hominum opinio, velut conſepultis ibi martyribus ſacrauerat. Nam & altare ibi à ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores natu erant presbyteris, vel clericis, flagitabat, ſibi nomen martyris vel tempora paſſionis oſtendi, grandi ſe ſcrupulo permoueri, quòd nihil certi conſtans ſibi maiorum memoria tradidiſſet. Cùm aliquandiu ergo à loco illo ſe abſtinuiſſet, nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem ſuam vulgo accommodans, ne ſuperſtitio conualeſceret, quodam die paucis ſecum adhibitis fratribus ad locum pergit. Deinde ſuper ſepulcrum ipſum aſtans, orauit ad Dominum, vt quis eſſet, vel cuius meriti ſepultus, oſtenderet. Tum conuerſus ad lauam, vidit propè aſſiſtere vmbram ſordidam, trucem. Imperat, nomen meritúmque vt loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum martyribus eſſe commune, cùm illos gloria, ſe pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, perſonam tamen non videbant. Tum Martinus quid vidiſſet, expoſuit, iuſſitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoueri, atque ita populum ſuperſtitionis illius abſoluit errore.*

Huc Africani Patres ſpectant in Canone

LXXXIII. Codicis ſui : *Item placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros & per vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur: ſi autem hoc per tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuincti teneantur. Et omninò nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbicumque conſtituuntur altaria, omnimodo improbentur.* Hos inter Patres præcipuus conſedit Auguſtinus, qui in hanc rem ita ſcribit in libri VI. contra Donatiſtas capite XXV. *Multorum preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem.*

Huc Gallicana ſpectat Eccleſia, quæ Canonem hunc renouauit, ſuúmque fecit apud Carolum Magnum in libri I. Capitularium num. XLII. *de falſis nominibus Sanctorum.*

Item in eodem (Africano Concilio) *vt falſa nomina Martyrum, & incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur.*

II. Hanc igitur ἐθελοθρησκείαν Eccleſia, quæ ad ſui commendationem hominum mendacio non eget, ſemper, vt apparet, deteſtata eſt, hodiéque deteſtatur, dum quæ diuerſarum Eccleſiarum Officia, vt vocant, quorumdam imperitia vel imprudens pietas deprauauerat, corriguntur,

& ab incertis narrationibus identidem expurgantur. Quare vehementer errant, qui ſimilium narrationum & hiſtoriarum vadem aliquando faciunt Eccleſiam, contra ipſiuſmet Eccleſiæ voluntatem, & qui pro traditionibus obtrudunt, quæ veris aliquando carent traditionum notis. Quo genere imprudentiæ, ſiquid intelligas, nihil eſſe poteſt in Eccleſia Dei periculoſius. Sed ô procul id genus homines φίλαυτοι, φιλόκενοι, & φιλόμυθοι, qui malunt virginitatem ac pudicitiam Eccleſiæ, quàm opinationes ſuas & commenta ſolicitari. Porrò verò hac eiuſmodi præfationis cautione munienda nobis neceſſariò via fuit ad Iudicium, quod de Hilduini Areopagiticis ferendum ſuſcipimus. Hæc autem, quæ recepto loquendi modo dicuntur Areopagitica, ſunt numero tria; Reſcriptum Hilduini Abbatis monaſterij Sancti Dionyſij ad Ludouicum Imperatorem: Epiſtola eiuſdem ad cunctos Eccleſiæ Catholicæ filios: Eiuſdem paſſio Sancti Dionyſij.

III. Quæ ergo in Areopagiticis Hilduini tractantur, ad rerum capita duo reuocamus; vnum id eſt, quod ab aliis antiquioribus aſſertum auctoribus commemorat; alterum, quod ipſe ſuopte ingenij acumine diſſerit. Cùm autem & ab Hilduino iam tum primùm certò affirmatum conſtet, eundem eſſe Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita, & ab aliis antiquam retinentibus traditionem contrà tunc negatum, faciunt iſta ſanè partium ſtudia, vt quæ ea ſuper re ſcripſit Hilduinus, non æquè recipiantur in auctoritatem, atque reciperentur, ſi ante exortam controuerſiam ſcripſiſſet. Quoties Latini

cum Græcis quingentis abhinc annis decertarunt, non alios auctores in controuerſæ quæſtionis deciſionem adduxerunt, niſi qui ante exortum ſchiſma ſcripsêre. Verùm vt nihil indelibatum quicquam, ac non diſcuſſum relinquatur, & quæ ab aliis dicta recenſet, & quæ proprio marte diſputat, expendemus.

IV. Ad primum autem caput quod attinet, duo quoque ſunt genera rerum, quas ab aliis memoriæ proditas tradit Hilduinus: earum alterum reperitur, alterum qualibet diſquiſitione facta non reperitur. In eo quod reperitur & legi poteſt, cùm reperiatur falſitas; in ceteris, quæ non reperiuntur, fidem opinor nullam meretur Hilduinus, cùm mendaci nec vera etiam dicenti credatur. Multiplex allegationis falſæ ſpecimen damus, ex quo quidquid de Hilduini ſinceritate iudices in poſterum, oſtenditur.

V. Primum illius ad Imperatorem reſcriptum ſic obiicit; *Genere ſiquidem eum* (Dionyſium) *nobiliſſimum & philoſophiæ magiſterio inſignem apud Athenas claruiſſe, & aliarum Hiſtoriarum & Actuum Apoſtolorum teſtimonio ſæcula priſca, ſeu inſtantia cognouerunt.* At Lucas in Actibus Apoſtolorum neque de Dionyſij genere, vel generis nobilitate, neque de magiſterio Philoſophiæ loquitur, aut aliquid tradit, ex quo alterutrum vel vtrumque legitimè colligatur. Hæc tantùm habet in cap. XVII. *Quidam verò viri ei* (Paulo) *adhærentes crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Vbinam quæſo Dionyſij Areopagitæ genus, nobilitas, magiſterium Philoſophiæ? vbinam quæſo

verbum vnum, ex quo Dionyſij potiùs quàm Damaris genus & amplitudo generis deducatur?

VI. Secundum quæritur ex his verbis: *Quia verò cum omni domo & Damari vxore ſua crediderit, lectio Act. Apoſtolorum docet*: Id certè non docet: hoc ſolùm docet: *Quidam verò viri ei* (Paulo) *adhærentes crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & aliis cum eis*. Vbinam legitur, cum omni domo ſua? vbinam Damaris vxor Dionyſij vocatur? Cùm ſcriptura citatur, pura puta citanda eſt. Vt vox *γυνὴ*, qua Lucas vtitur, ita & vox *mulier*, qua Lucæ interpres, pro vxore non ſemper accipitur. Ex antiquis vnus fere occurrit Chryſoſtom. qui Damarim Areopagitæ vxorem nominauerit, l. IV. de ſacerd. cap. VII. ſed id ſenior ſuppreſſit homil. XXXVIII. & XXXIX. in Acta Apoſt. Sed hoc non agitur, agitur citatio Scripturæ, quæ non bona fide citatur.

VII. Tertium petitur ex his verbis: *Sed & B. Ambroſius in epiſtola ad Vercellenſes eandem vxorem eius* (Dionyſij) *ex nomine deſignans perſpicuè manifeſtat.* At Sanctus Ambroſius Damarim non appellat vxorem Dionyſij. Sic enim loquitur in libri III. epiſtola XV. ad Vercellenſes. *Siquidem Dionyſius Areopagites cum Damari muliere aliiſque multis credidit.* Mitto quòd epiſtola ſuſpectæ fidei à pluribus habeatur.

VIII. Quartum ducitur ex his verbis, quæ poſt alia ſequuntur: *Quoniam non ibi* (in paſſione S. Dionyſij) *ſcribitur, eum Epiſcopum à B. Clemente conſecratum, ſed Apoſtolum totius Galliæ fuiſſe ordinatum: de qua ordinatione Apoſtolatus, niſi ad alia ſe intentio noſtra dirigeret, & ex Apoſtolorum Act.*

Digitized by Google

& ipſius Domini actione, auctoritatis exemplum ſufficienter his ſcriptis poſſemus inferre. At neque in Actibus Apoſtolorum, neque in Euangeliis, quibus actiones Chriſti continentur, traditur Areopagitam à Clemente conſecratum Galliæ totius Apoſtolum. Præterea, quaſi nihil eſſet factu facilius quàm quod ſibi ſumit oſtendere, id ipſum omittit, quòd illius aliò ſe dirigat intentio.

IX. Quintum habetur in epiſtola ad cunctos Eccleſiæ Catholicæ filios, vbi ſic ſcribit Hilduinus: *Abiecta omni ambiguitate, quòd iſte ipſe Dionyſius, cuius hic geſta ſcribuntur, non ſit Areopagites & Athenarum Epiſcopus, quid quiſque dixerit, veluti de autumatione Gregorij Turonenſis Epiſcopi, & ſubreptione Bedæ ſancti preſbyteri, atque aliorum quorumque ſine auctoritate iactatur. Qui curioſiùs hoc ſcire voluerit, vt de multis quadam deſignemus ex nomine, Euſebij Cæſareenſis Hiſtoriam, & Ariſtarchi Græcorum Chronographi ad Oneſiphorum Primerium epiſtolam, & Viſbij conſcriptionem perquirat & relegat.* Morem geramus Hilduino: Euſebius de Dionyſio Areopagita loquitur duobus tantùm Hiſtoriæ locis, quæ vt cum dictis Hilduini conferantur, recenſemus. Primus eſt quidem lib. III. cap. IV. *Adde his Areopagitam illum Dionyſium nomine, quem in Actis Apoſtolorum poſt Pauli concionem in Areopago apud Athenienſes habitam, ad fidem conuerſum fuiſſe Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit, quémque primum Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopum deſignatum alius quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum paſtor narrat.* Alter libri IV. cap. XXII. vbi quid in epiſtolis Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi continetur, explicat

Euſebius: *In eadem*, inquit, *deſignat epiſtola* (ad Athenienſes) *quòd Dionyſius Areopagites, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto ſecundùm ea, quæ in Actibus Apoſtolorum deſignantur, primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus fuerit ordinatus.* Lege ergo & relege Euſebij Hiſtoriam, & Dionyſium Pariſienſem eundem eſſe cum Areopagita ibi reperies nuſquam. Hæc ſufficiant ad ſpecimen auctorum, qui ab Hilduino citati leguntur, & quibus egregiè impoſuit.

x. Nunc veniendum eſt ad ſcriptores qui non extant, & quibus Hilduinus multa tribuit. In Reſcripto ad Imperatorem primus eius generis auctor occurrit Ariſtarchus, quem Chronographum duobus in locis appellat, & cui hiſtoriam & epiſtolam ad Oneſiphorum primicerium tribuit, Loca illa duo non refero, quia iam relatus vnus ſufficit.

i. Apud antiquos memorantur Ariſtarchi plures, vnus Grammaticus, alter Comicus Poëta, hic Mathematicus, ille tyrannus Epheſi, ſed Chronographus nullus, hiſtoricus nullus. ii. Apud antiquos nullus memoratur auctor nomine Ariſtarchus, qui Dionyſij Athenienſis Epiſcopi meminerit. iii. In Actuum Apoſtolicorum capite xix. & in Epiſtolæ ad Coloſſ. capite iv. Ariſtarchus quidam Pauli comes & concaptiuus legitur, deinde in Epiſtolæ ii. ad Timotheum capite i. Oneſiphorus. An autem Hilduinus Ariſtarchum hunc Chronographum Græcorum fecerit, & Epiſtolas ad Oneſiphorum ſcribentem induxerit, diſceptari poſſet. quidquid id eſt, qua confidentia Hilduinus B. Lucæ

& Euſebio tribuit, quæ non ſcripſerunt, eadem potuit vel Ariſtarcho huic tribuere, quæ non ſcripſit, vel aliquem alium, cui commenta ſua tribueret, fingere: par eſt vtrobique diſputandi ratio.

XI. Secundus occurrit auctor Visbius, de quo in Reſcripto ad Imperatorem ita loquitur: *Præcipuè tamen conſcriptio Viſbij, quæ in tomo ſatis ſuperque abdito, Pariſius diuino nutu inuenta, inter alia memoranda, ſicut in ea legitis, verba Domini noſtri Ieſu Chriſti ad eum prolata; quando ſacra myſteria perageret, illi cunctis videntibus apparentis, continere dinoſcitur. Cui adſtipulari videntur antiquiſſimi, & nimia penè vetuſtate conſumpti Miſſales libri, continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei, vſu in hac Occidentali plaga eſt habitus, vſquequo tenorem, quo nunc vtitur, Romanum ſuſceperit. In quibus voluminibus habentur duæ Miſſæ, quæ ſic inter celebrandum ad prouocandam diuinæ miſerationis clementiam, & corda populi ad deuotionis ſtudium excitanda, tormenta martyris ſociorúmque eius ſuccinctè commemorant, ſicut & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ, aliorum Apoſtolorum vel Martyrum, quorum paſſiones habentur, notiſſimè decantant. Quarum Miſſarum cantus, ſenſus & verba, adeò paſſionis eorundem, quam vobis miſimus, ſeriei concordare videntur, vt nulli ſit dubium, à teſte illorum martyrij* (Visbio) *agones eorum fuiſſe deſcriptos, & ex ipſa veraci hiſtoria, memoriam tormentorum ſuorum in præfatis precibus fuiſſe mandatam.* Deinde in epiſtola ad cunctos Catholicæ Eccleſiæ filios: *qui curioſiùs hoc ſcire voluerit, Viſbij conſcriptionem perquirat & relegat.* Qui ante Hilduinum, vel Visbium vel Visbij conſcriptio-

nem nouerit, hactenus inuentus eſt nemo. Viſbij nomen, atque adeò ipſius hiſtoriam generale retrò ad Dionyſij tempus ſilentium obruit: quod ne opponeretur, Hilduinus cautione hac occupauit: *Viſbij conſcriptio in tomo ſatis ſuperque abdito, Pariſius diuina nutu inuenta.* Hæc autem cautio non videretur nimia, proindéque dolus, niſi Hilduinus beato Lucæ & Euſebio imponere eſſet auſus.

XII. Miſſales libri & Romani Pontiff. occurrunt numero tres, Innocentius, Gelaſius, Gregorius, de quibus ita loquitur in Reſcripto ad Imperatorem. *Videtur porro in his Miſſarum obſecrationibus* (quas Visbius audiuerat) *non contemnenda auctoritas de memorata paſſione Sanctorum, cùm extent apud nos epiſtolæ Innocentij, & poſt eum Gelaſij, nec non & moderniùs beati Papæ Gregorij aliorúmque Pontificum ad Epiſcopos vrbium Galliarum & Antiſtitum noſtrorum ad ipſos de more Romano in cunctis Eccleſiaſticæ auctoritatis muniis imitando, quibus datur intelligi ab annis pluribus hunc Miſſæ tenorem de Gallica conſuetudine receſſiſſe, & hanc paſſionis martyrum iſtorum memoriam longo ſuperiori tempore his Occidentalibus partibus per ſupplicationum poſtulationes inoleuiſſe, quibus tantò certiùs fidem accommodamus, quanto in tempore vicino poſt conſummationem eorum eaſdem fuiſſe compoſitas ſine dubitatione concredimus.* I. Hos Miſſales libros, has Pontificum epiſtolas, quæ Hilduini cauſæ ſeruiunt, neque ante Hilduinum, neque poſt Hilduinum nemo vidit vnquam. Fides ergo penes hominem vnum, qui beato Lucæ & Euſebio non dubitauit appingere, quæ nunquam

ſcripſerunt. II. Si verum eſſet Miſſales libros qui ab initio ſuſceptæ fidei conſcripti ſunt ad vſum Gallicanæ Eccleſiæ, Dionyſium Pariſienſem eundem atque Areopagitam repræſentaſſe, cur qui Sancti Saturnini martyris hiſtoriam confecit eos tam turpiter neglexit, vt Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum vſque ad Decij tempora demiſerit? Cur Gregorius Turonenſis eoſdem Miſſales libros inſuperhabuit? Affirmabitne Hilduinus Gregorius Arabico vel Perſico, non Gallico more celebraſſe Miſſarum ſolemnia? & hanc ob cauſam Miſſarum codices non vidiſſe, quos ille laudat? III. Hilduinus vt inuentum ſuum occultet, ſi tamen occultare poteſt, de Gallis & Romanis conqueritur: de Gallis quidem, quòd inſtitutum ab initio ſuſceptæ fidei ordinem Miſſæ, & eum longo vſu confirmatum abiecerint; de Romanis verò, quòd nouum Miſſæ ordinem antiquo illi ſuffecerint. quo pacto vtrique Areopagitæ in Gallia paſſi memoriam exterminarunt. Hilduino quis credet? IV. Nulla eſt Innocentij, nulla Gelaſij, nulla Gregorij epiſtola, quæ mutandum veterem apud Gallos ordinem Miſſarum proponat. Dicétne Hilduinus vt Miſſales libros, ità & horum Pontificum epiſtolas periiſſe? Sed dicenti Hilduino quis habebit fidem, ſi modò ſcierit, illum beato Lucæ & Euſebio affinxiſſe multa, quæ literis neutiquam prodiderunt? V. Vnum aliquid vni affingere Pontifici ferendum eſſet in Hilduino, ſed tribus Pontificibus id quod tam enormiter falſum eſt, affingere, quis animo æquo ſuſtineret?

XIII. Eugenius Toletanus Epiſcopus occurrit, cui

cui Hilduinus hymnum de Beato Dionyſio tribuit: *Nec mirari quis poterit, cur hymnum Sancti Eugenij Toletani de Beato Dionyſio habeamus, & vicinorum ſapientium ſcriptis, exceptis paucis, videamur carere, cùm & hac quæ habemus, vt exorata priorum noſtrorum venia dicamus, abdita & negligenter relicta reperimus, & alia necdum prolata, quia non adhuc ſunt ad liquidum enucleata, nos poſſidere latemur.* At præter Hilduinum & monaſterij Sancti Dionyſij monachos nullus Eugenio Toletano Epiſcopo tribuit hymnum, quo Beati Dionyſij Areopagitæ Pariſienſis Epiſcopi laudes caneret. Edita ſunt Eugenij poëmata, inter quæ hymnus eiuſmodi non comparet. Profectò facilius fuit hymnum affingere Eugenio Toletano Epiſcopo, cuius opera præ manibus non ſunt omnium, quàm beato Lucæ, quæ non dixit, affingere, cùm illius Acta Apoſtolorum terantur ab omnibus. Præterea hymni ſtilus Eugenij ſtilum minimè refert. Ita vt hæc diuerſitas ſola monachorum fraudem patefaceret.

XIV. Fortunatus occurrit, cui Hilduinus ſimilem hymnum adſcribit in eodem ad Imperatorem reſcripto. *Patenter & quidem noſcere poſſumus, non adeò quadam ſolerter eum* (Gregorium Turonenſem) *inueſtigaſſe, cùm ei contemporalis exiſtens vir prudens & ſcholaſticiſſimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eum ſcripſerat, hymnum rhythmica compoſitionis pulcherrimum de iſto glorioſiſſimo martyre compoſuerit. In quo commemorat, eum à beato Clemente deſtinatum, ſicut in Latinorum paginis didicit, de natione autem eius & ordinatione Epiſcopatus mentionem non facit, quia lingua Græ-*

Digitized by Google

ca penitus expers fuit. Ante Hilduinum Fortunati hymnum hunc nemo viderat. Hilduinus omnium primus vidit & forſan compoſuit. Quidquid id eſt, monaſterij ſui fœtum debet agnoſcere, cùm exemplaria Fortunati nulla ſeu edita, ſeu manuſcripta hymnum illum exhibeant. Deinde Fortunatus multa de Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo canit, nec eum à Clemente miſſum canit. Poſtremò tam potuit Fortunato hymnum affingere, quàm Lucæ & Euſebio affinxit, quæ de Areopagita non ſcripſerunt. Porro cùm Hilduinus dicit Fortunatum, è paginis Latinorum didiciſſe, miſſum à Clemente in Galliam fuiſſe Dionyſium, id dicit, quod Latinorum nullus ante Fortunatum vnquam dixerat. Quæ impoſtura eſt manifeſtiſſima.

XV. Hiſtoriæ Græcorum occurrunt, de quibus in epiſt. ad cunctos Catholicæ Eccleſiæ filios ita ſcribit: *Viſum eſt mihi etiam in hac parte quiddam ſudoris impendere, vt notitiam de ordine conuerſionis & prædicationis atque aduentus Romam, ſeu triumphalis martyrij Beatiſſimi Dionyſij, quæ maximè Græcorum continetur hiſtoriis.* At nullus auctor eſt apud Græcos Carolo Magno vetuſtior, qui Dionyſium Areopagitam veniſſe Romam literis mandauerit: Quapropter non eſt mirum Abbatem monaſterij Sancti Dionyſij Græcorum hiſtoriis imponere, cùm beato Lucæ & Euſebio tam fœdè, vt vidimus, impoſuerit.

XVI. Monumenta veterum occurrunt, de quibus ibi ſermonem hunc inſtituit: *Vera itaque à veracibus de eo ſcripta, & ſimpliciter in vnum collecta fideliter relegant, & ſi noſtræ imperitiæ fuerint*

indignati, ad veterum monumenta recurrant; quia nos non noſtra, nec noua cudimus; ſed antiquorum antiqua dicta de abditis admodum tomis eruimus. At veterum monumenta nulla ſunt Carolo Magno vetuſtiora, quæ Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum Areopagitam fuiſſe aſſerant. Scilicet veterum monumenta ſolus ille vidit, quòd *de abditis admodum tomis* eruenda forent. Qui dicit in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſſe, Dionyſium fuiſſe genere nobiliſſimum, ac magiſterio Philoſophiæ inſignem; qui contendit probare ſe poſſe cùm ex Actibus Apoſtolorum, tum ex Domini noſtri actione, Dionyſium Areopagitam fuiſſe totius Galliæ Apoſtolum; cur non diceret, cur non contenderet in veterum monumentis haberi, quidquid de Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo haberi voluerit?

XVII. Monaſterij S. Dionyſij archiuum occurrit, de quo in eadem epiſtola ſic loquitur: *De his autem & aliis quibuſcunque, vnde ſumpta ſunt omnia, quæ præ manibus tenentur collecta, ſi benignitati legentis commodum ac placitum fuerit, & alibi ea inuenire nequiuerit, literarum noſtræ paruitatis ex hoc ad ſereniſſimum Auguſtum affatim illuſtratione valebit. Nam etſi eis credere dignatus non fuerit, illæ ſibi tamen ſine quolibet ſupercilio prodent, vbi hæc vniuerſa & qualiter, & quo ordine dicta manifeſtè reperiat, ipſorùmque librorum plenitudinem, ſi indiguerit, ab archiuo Eccleſiæ noſtræ mutuare quibit.* Hilduinus poſtquàm eis ſuccenſuit, qui dictis ſuis fidem adhibere nolent, hos ad archiuum Eccleſiæ ſuæ remittit. Mirificum eſt iſtud tabularium, in quo quod nuſ-

Digitized by Google

quam eſt alibi, reperitur; Apoſtolorum Actus reperiuntur, qui Areopagitam fuiſſe genere nobiliſſimum & magiſterio inſignem docent; reperitur Euangelium, vbi ea Chriſti notatur actio, quæ ad vindicandum Dionyſio totius Galliæ Apoſtolatum ſufficiat; reperitur Ariſtarchi Græcorum Chronographi hiſtoria, reperitur & eiuſdem ad Oneſiphorum primicerium epiſtola; quæ Dionyſij proſapiam, doctrinam, conuerſationem, ætatem, ordinationem, prædicationem, ſubrogationem alterius in eius locum Epiſcopi, & in vrbem Romam aduentum per ordinem narrat; reperitur Ambroſij ad Vercellenſes epiſtola, in qua Damaris vxor Dionyſij vocetur; reperitur Euſebij hiſtoria, vbi de Dionyſio Areopagita dicuntur multa, quæ in vulgatis ſeu Græcis, ſeu Latinis codicibus legere non poſſumus; reperitur Visbij conſcriptio, quæ erat vſque adeò abdita, vt Pariſiis nonniſi diuina reuelatione inueniri potuerit; reperiuntur Fortunati presbyteri, & Eugenij Toletani Epiſcopi carmina, quæ quis alio in loco fruſtrà quæreret, niſi perdere oleum & operam vellet; reperiuntur Miſſales libri, in quibus Dionyſij Areopagitæ, Ruſtici & Eleutherij certamina continentur; reperiuntur Innocentij, Gelaſij & Gregorij epiſtolæ, quæ inter alias illorum Pontificum epiſtolas non extant. Hæc autem ſunt omnia, quæ reperiuntur in archiuo Eccleſiæ monaſterij Sancti Dionyſij, præterea nuſquam. Quare non immeritò ſtudioſum veritatis lectorem ad archiuum illud ſinceriſſimum ablegat.

Verumenimuerò neſcio cur Vſuardi præter-

mittit Martyrologium, quod in illa Eccleſia legebatur. Nam loca ſunt in illo tria, quæ Hilduini cauſæ plurimùm fauent: Calend. Octobris: *Ciuitate Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri, qui cum Beato Dionyſio Epiſcopo, eiúſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* v. Nonas Octobris: *Natalis Beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides vir fide ſapientiáque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit.* VII. Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionysij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi. Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum opus ſibi ardenter perſequens tandem à præfato Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Hæc ſunt ipſiſſima Martyrologij verba, quæ ante annos trecentos Guido monaſterij Sancti Dionyſij Abbas Sanctilogio ſuo inſeruit, & commentariis falſis obſcurauit: Sed obſcurari non poſſunt. Qui enim Dionyſius Piatonis comes dicitur, is apud Pariſios martyrium facit VII. Idus Octobris. Nec is poteſt eſſe Areopagita, ſiue quia Piato Dionyſij comes Diocletiano & Maximiano imperantibus vixit, ſiue quia Dionyſius Areopagita v. Nonas Octobris martyrio conſumitur: ſiue quia idem homo duobus diuerſis diebus mori non poteſt.

XVIII. S. Pauli cum Dionyſio diſputatio occur-

rit, quæ ſic ſe habet in paſſione Beati Dionyſij: *Vnde expletis, pro quibus* (Dionyſius) *perrexerat, feliciter rediit, arcique totius vrbis Athenæ præerat, & Curiæ Areopagi præſidens, omnium negotiorum ciuilium publicè & priuatim, vt nobilior nobiliſſimis moderamina diſponebat, atque inter primos primus ſophiſtica & ſyllogiſtica vniuerſalium doctrinarum acumina & ſtrophas, infulatus toga Philoſophica, ciuibus ac vndique ad id ſtudium confluentibus profundebat. Hunc ſiquidem vatem, qui olim paganus adhuc viſceribus tanti myſterij, quod ventum erat, quaſi venturum valuit reſerare; vtpote loci primatem cùm Areopagum adiſſet, erectis ad verbum omnium auribus interrogare ſpecialiter cœpit Paulus, quid coleret, & quibus numinibus in tam ſpatioſo & venerabili loco inſeruiret: Cui reſpondit Dionyſius, Deos, quos coluerunt patres noſtri, quorum virtute & ſolertia mater terra continetur, hos colimus & adoramus: Aras, quas vides, Martis & Herculis, Mercurij & Priapi nomine, & honore ſacratæ ſunt. Dum verò Paulus ſingula altaria, & ſimulacra falſorum Deorum perluſtraſſet, inter ceteras aras reperit altare vnum, cui erat titulus ſuperſcriptus; Deo ignoto. & conuerſus ad eum Paulus interrogauit illum, dicens; Quis eſt ille Deus incognitus? ad quem Dionyſius: Adhuc, inquit, non eſt ipſe Deus demonſtratus inter Deos, ſed eſt incognitus nobis, & ſæculo venturo futurus. Ipſe enim eſt Deus, qui regnaturus eſt in cælo & in terra, & regnum eius non accipiet finem. Subiungens itaque Paulus ait: Quid vobis videtur? Homo erit, an Spiritus Deorum? Reſpondens Dionyſius, dixit: Verus Deus & verus homo,*

Digitized by Google

& ipſe renouaturus mundum: ſed adhuc incognitus eſt hominibus, quoniam apud Deum in cælo eius conuerſatio eſt. & ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Natus enim ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, pro ſalute humana mortuus, reſurrexit, cælóſque aſcendens, ſedet in dextera Dei Patris verus Deus & verus homo, per quem facta ſunt omnia, & venturus eſt in fine ſæculi iudex omnium, quæ geruntur. Qui notus eſt iam in Iudæa Deus, & magnum in Iſraël, & ſanctum nomen eius. Quapropter quem incognitum vſque nunc habuiſtis, modò cognoſcite, quia ipſe eſt Deus ſolus, & præter eum non eſt alter, qui nos de morte ſanguinis ſui pretio reduxit ad vitam, qui cælum & terram homines ſcilicet, & Angelos in vnitate regni ſui coniunxit, qui mortificat iuſtus & viuificat pius, qui claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit.

Hæc & alia plura Paulo prædicante, & templa ſingula perluſtrante, commendando Chriſtum Ieſum Dei Filium, & Deum verum eſſe; quæ amica curioſitate Athenienſes propter ipſam nouitatem officioſiſſimè acceptabant.

In hac diſputatione & narratione Hilduinus Paulo multa impoſuit, ſed vt recognoſcantur faciliùs: beati Pauli verba ex cap. XVII. Actorum adſcribo: *Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vſque ad Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti ſunt. Paulus autem cùm Athenis eos exſpectaret, incitabatur ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Diſputabat autem in Synagoga cum Iudæis & colen-*

Digitized by Google

tibus, & in foro per omnes dies ad eos, qui audierant. Quidam autem Epicurei, & Stoïci Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant. Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? alij verò, nouorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe, quia Ieſum & reſurrectionem annuntiabat eis: & apprehenſum eum, ad Areopagum duxerunt dicentes: poſſumus ſcire, quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? Noua enim quædam infers auribus noſtris. Volumus ergo ſcire, quidnam velint hæc eſſe? Athenienſes autem omnes & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait, Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video. Præteriens enim & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram in qua ſcriptum erat, ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Deus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipſe dat omnibus vitam & inſpirationem & omnia, fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm. In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt. Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum eſſe ſimile. Et tempora quidem, cuius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes

vbique pœnitentiam agant eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Cùm audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. ſic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Hæc autem Lucæ verba omnia ſiquis cum Hilduini verbis componat, inueniet ab Hilduino tum alia multa Paulo imponi, tum maximè inſtitutam cum Dionyſio diſputationem. Quaſi verò alterutrum è duobus foret neceſſarium, aut ſi foret, id Hilduinus expedire poſſet: vt ille Paulo in collocutionem cum Athenienſibus venienti ſubiiceret, quæ dicere & facere conueniret, vel vt idem dicta & facta Pauli referret, quæ Lucas prætermiſiſſe credendus eſſet. quidquid in cauſa, negari non poteſt, quin Hilduinus Paulo & Dionyſio multa tribuat, quæ nec Lucas in actis, nec vetus auctor Lucæ æqualis, vel ætate ſuppar tribuit vnquam. Itaque cùm canonicis & aliis ſcriptoribus qui legi poſſunt, multa Hilduinus affingat, multa quoque iis ſcriptoribus, qui non extant, affingere poterit. Vnde accidit, vt iis, quæ ſola illius relatione nituntur, fides nulla prudenter adhiberi poſſit.

Hæc de capite primo, nunc ad ſecundum accedo. & primùm quidem obſeruo quod Hilduinus ab aliis obſeruari cupit in reſcripto ad Imperatorem: *Ordinem*, inquit, *hiſtoriæ, ſicut ve-*

ſtra iuſſit dominatio, in vnum congeſtum, & ſingulatim poſtea plenitudinem eius diſcretam, cunctis legentibus atque audientibus pandemus. Nam diuinæ erit inſpirationis & exequutionis, id quod deſideramus, fideli animo propalare. Sic diuinæ inſpirationi tribuit, quod de Beato Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo dicturus eſt. Qua in re id ſibi ſumit quod ſolis auctoribus Canonicis conuenit. Hoc autem cùm in Eccleſiaſtico tractatore nullo ferendum ſit, in Hilduino longè minùs ferri debet. Hic enim & multa, vt iam viſum eſt, Actibus Apoſtolorum, Euſebio, Ambroſio, Innocentio, Gelaſio, Gregorio Romanis Pontificibus & aliis imponit, nec pauca diſſerit, quæ rationi vix cohæreant.

1. In reſcripto ad Imperatorem ſic aduerſarios refellit: *Ceterum ſuper garrulitate leuitatis eorum mirando deficimus, qui contendentes hunc Dionyſium Areopagiten eſſe non poſſe, ad munimentum ſui quæ ſequuntur, inaniter contrahunt, venerabilem ſcilicet, & ſanctum Bedam preſbyterum dixiſſe in tractatu Apoſtolorum Actuum, Areopagiten Dionyſium non Athenarum, ſed Corinthiorum fuiſſe Epiſcopum, addentes eundem inibi diem obiiſſe: & quoniam libellus paſſionis iſtius teſtetur, hunc à Clemente Pontifice Romano Epiſcopum ordinatum, & in has Galliarum partes fuiſſe tranſmiſſum.* In hac reſponſione ponit, eum, qui à Clemente in Galliam mittitur, Dionyſium Areopagitam fuiſſe, quaſi præter Areopagitam nullus in vrbe vel in orbe fuerit Dionyſius, qui à Clemente in Galliam mitteretur. quæ prorſus mirabilis eſt, & indigna dialectico tyrone

Digitized by Google

ἀσυλλογισία, qua tamen nonnulli capiuntur, vt hamo piſces. Porrò quamuis error Bedæ excuſari nequeat, ex eo tamen colligimus, inconſiderantiâ lapſum eſſe Baronium, cùm & in Annalibus, & in notis ad Martyrologium pro aſſerenda Areopagitæ in Galliam miſſione auctoritatem Bedæ opponit. Hilduinus ab hoc peccato ſibi cauet: Bedam habet vt opinionis ſuæ aduerſarium, non habet vt adſtipulatorem.

11. In eodem reſcripto multa gratìs dicta & parum inter ſe cohærentia loquitur: & primùm quidem cùm ait: *Quocirca & veſtræ ſedulitatis inſtantia, cùm pro magna antiquitate huius ſanctiſſimi Patris noſtri, quantum ad generationem terrenam, & conuerſionem, ſeu obitum attinet, mira ſanctitate & miraculorum prodigiis orbi penè cuncto innotuit, notitia ipſius paucis noſtrorum cognita, plurimis adhuc manens incognita.* De Dionyſio Areopagita gratìs multa dicit, quia, illius præter Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum apud Euſebium, Ariſtidem, Cæſarium Gregorij Nazianzeni fratrem, Ambroſium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Concilia in quibus citatur, veteres nulli vel certè pauci meminerunt, nec tamen eorum meminerunt omnium, quæ Hilduinus ſcribit: quis enim quæſo de miraculorum Areopagitæ prodigiis verbum vllum fecit vnquam? ante Hilduinum nullus. De Dionyſio Pariſienſi gratìs quoque multa dicit, quia generationem, vt ait, terrenam nullus attingit, Gregorius Turonenſis, & Audoënus Rotomagenſis miracula recenſent. Quapropter de hoc vel illo Dionyſio gratìs & ſine auctoritate bona

tradit : *quòd generatio terrena, & conuerſio, ſeu obitus mira ſanctitate & miraculorum prodigiis orbi penè cuncto innotuit.*

Quòd autem omnia hæc, quæ retuli non cohæreant inter ſe, verborum ſeries ipſa declarat. Hinc enim Dionyſij ſeu Athenienſis, ſeu Pariſienſis Epiſcopi (nihil intereſt modò) generatio terrena & conuerſio, ſeu obitus mira ſanctitate & miraculorum prodigiis orbi penè cuncto innotuit, inde notitia Gallorum paucis familiaris eſt : plurimos fugit.

III. Deinde poſt alia : *Nec mirari quis poterit, cur hymnum Sancti Eugenij Toletani de Beato Dionyſio habeamus, & viciniorum ſapientium ſcriptis, exceptis paucis, videamur carere, cùm & hac, qua habemus, vt exorata priorum noſtrorum venia dicamus, abdita & negligenter relicta reperimus, & alia necdum prolata, quia non adhuc ſunt ad liquidum enucleata, nos poſſidere latemur.* Hæc autem cum præcedentibus quàm parum conſentiant facilè quis poteſt cognoſcere.

IV. Tum paullo pòſt : *De cuius obitu nil Graci ſcriptores dixerunt, quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius fuit penitus incognitus. Habemus tamen Graca auctoritatis Martyrologion de tomo Chartiſſcriniis Conſtantinopolitanis adeptum, qui tanta vetuſtate diſſoluitur, vt maximam cautelam à ſe contingentibus exigat, in quo diem natalitij eius deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit, reperimus annotatum. Quod Martyrologium, vt antiquitas eius demonſtrat, ex eo tempore conſtare poſſe non incongruè remur, quo Conſtantino iubente nota occaſione martyria Sancto-*

rum Domini de toto orbe collecta, & Cæſaream ſunt conuecta. Hinc ſcriptores Græci de Areopagitæ obitu nil dixerunt, inde Conſtantinopolitanum Martyrologium natalem Areopagitæ diem notauit, quæ mera eſt contradictio. quia qui Conſtantinopolitanum Martyrologium confecerunt, Græci ni fallor, auctores fuere. Præterea cùm in Græcorum Conciliis laudari cœpit Areopagita Dionyſius, hic Athenienſis Epiſcopus & Martyr dictum eſt. quo modo martyrium cum Athenienſi Epiſcopatu coniungitur.

V. Poſtremò in epiſt. ad Catholicæ Eccleſiæ filios: *Viſum eſt mihi etiam in hac parte quiddam ſudoris impendere, vt notitiam de ordine conuerſionis & prædicationis, atque aduentus Romam, ſeu triumphalis Martyrij Beatiſſimi Dionyſij, quæ maximè Græcorum continetur hiſtoriis, & quaſi ſepulta antiquorum ſcriniis apud Latinos non modica portione ſeruabatur obtecta, in lucem Chriſto iuuante reducerem.* Nunc Dionyſij conuerſio, prædicatio & aduerſus Romam orbi penè cuncto innotuit, nunc hæc tria obliuioni tradita ſunt, & in antiquorum ſcriniis magnam partem occulta detinentur.

VI. In reſcripto Hilduinus libello paſſionis Dionyſij antiquiſſimo id tribuit, quod in eo minimè legitur: *Quomodo caput Angelico ductu cæleſtis militiæ in celebratione exequiarum honoratus obſequio ad locum, vbi nunc requieſcit, detulerit, & quo ordine à Catulla quadam matrefamilias ſit ſepultus, libellus antiquiſſimus paſſionis eiuſdem explanat.* Libellus hic ad fidem manuſcriptorum codicum quinque recenſitus ante aliquot annos

Digitized by Google

prodiit, in quo de geſtatione capitis nihil traditur: Verba ſunt hæc, in quibus geſtatio capitis memorari deberet: *In hac ergo fidei conſtantia perſiſtentes* (Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius) *reddentes terræ corpora, beatas cælo animas intulerunt, talique ad Dominum meruerunt profeſſione migrare, vt amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri. Beata nimium & Deo grata ſocietas, inter quos nec primus alter potuit eſſe, nec tertius, ſed Trinitatem confitentes meruerunt venerabilem locum trino decorare martyrio. Metuentes igitur percuſſores, ne conuerſi populi fideliſſima probatáque deuotio ſanctorum corpora profutura ſibi, & reliquias ad patrocinium tumularet, elegerunt tetris Sequanæ profundiſque gurgitibus Martyrum corpora perdenda committere, quæ impoſita nauibus ad præuiſum iubentur gurgitem deſtinari. Tunc matrona quædam licèt paganorum implicata teneretur errore, conuerſionem tamen ſe deſiderare mente monſtrabat, & opera facere aliqua cogitans Domino placitura, vſa ſubtilitate conſilij, ad conuiuium venire poſtulat percuſſores, & dum eis copiam optatæ humanitatis extendit, à memoria eorum, quæ ſuſceperant, agenda diſcuſſit, ac fidelibus ſuis ſecreta ordinatione committit, vt ſubtracta furto Sanctorum corpora diligens elaboraret occultare prouiſio.* Hæc autem quàm aliena ſint à geſtatione capitis, quam Hilduinus inducit, nemo eſt, qui non perſpiciat. Pingebantur olim martyres cum nota martyrij ſui. Dionyſius quia illi præciſum caput fuerat, illud manutenens pingebatur. Exinde manu caput geſtaſſe, & tum demum ambulaſſe

dictus eſt. Præterea matronæ illi nomen Catullæ inditum eſt. Ceterum Hilduino libellum paſſionis quem citat oppono, in auctoritatem non aſſumo: & cur non aſſumam, rationes mihi ſunt multæ, quas explico in obſeruatione XIX. & XX. Iudicij de Hadriani Valeſij diſceptatione, quæ de Baſilicis inſcribitur.

VII. In eodem reſcripto Hilduinus vrbem Athenas facit metropolim, quo tempore nondum erat Metropolis: *Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus eandem Athenienſium ciuitatem pallio Archiepiſcopali, quod iam ex ea diuturno tempore orta quadam contentione ſubtractum fuerat, redonauit, & Synodali conſenſu Metropolis auctoritate, qua antè functa fuerat, honorauit. Nam à præcedentibus annis vſque ad illud tempus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, nec ſuberat alteri, niſi Patriarchæ, nec iuri eius debitarum ſibi Epiſcopi ciuitatum ſubdebantur.* Deinde in paſſione Dionyſij: *A quo* (Clemente) *idem glorioſus Domini Athenienſium Archiepiſcopus Dionyſius mox, vt ſe potuerunt inuicem ſalutare, digno eſt cum honore ſuſceptus.* Ex quibus verbis apparet, Hilduinum crediſſe, vrbem Athenas Dionyſij huius tempore Metropolim fuiſſe, cùm illius præſulem Archiepiſcopum vocet. Athenienſium ciuitas primis Eccleſiæ ſæculis Corintho vt Metropoli ſubiacuit. Sic in epiſtola Epiſcoporum Metropolis Corinthi ad Leonem Imperatorem, qui Marciano ſucceſſit. *Piiſſimo & inuictiſſimo domino totius terrarum orbis, & Chriſtianiſſimo Imperatori Leoni, Petrus Epiſcopus Metropolis Corinthi, & reliqui Epiſcopi reuerendiſſimi ſub me conſtituti*

Digitized by Google

Athanaſius, *Rufinus*, &c. & poſt alia ſic ſubſcribunt, *Petrus Epiſcopus Metropolis Corint*, *ſancta & conſubſtantialis Trinitas, quæ tuum genus ad vnanimem fidei orthodoxæ, & ſalutem generis humani conſtituit, pium tranquillitatis tuæ longiſſimo tempore ſeruet imperium, venerabilis Imperator. Athanaſius Epiſcopus Athenienſis ſimiliter, Rufinus Epiſcopus Theſpinenſis ſimiliter*, &c.

Vt Stephanus Corinthi, ita & Ioannes Athenarum Epiſcopus actioni XVIII. Synodi VI. ſubſcribit, ſed exemplo literarum quas ibidem Synodus ad Agathonem Romanum Pontificem mittit, & quibus Metropolitani ſoli ſubſcribunt, iis non Ioannes Athenarum, ſed Stephanus Corinthi Epiſcopus ſubſcribit: *Stephanus miſericordia Dei Corinthiorum Metropoleos Græcorum prouinciæ pro me Synodo, quæ ſub me eſt, ſimiliter ſubſignaui*. Quare tunc vrbs Athenæ Metropolis nondum erat. Sic falſa & oppidò ridicula ſunt, quæ Hilduinus de Metropolis Athenienſium vetuſtate ſcribit, quæ verò de Taraſio, & Taraſij inquiſitione dicit, ſi ſola illius auctoritate fulciantur, facilè corruent. quidquid in cauſa, Nicetas Athenarum Metropolita actioni X. Synodi VIII. ſubſcribit, & exaratæ circa illud tempus Conſtantinopolitani Patriarchatus notitiæ Metropolitam Athenarum repræſentant. Sed hoc nunc non agitur.

VIII. In eodem reſcripto Hilduinus dictis ſuis auctoritatem ſic bellè conciliat: *Quocirca nulla hiſtoria ſic probabilis poterit vel debet haberi, quàm ea, quæ de veridicorum, præcipuè orthodoxorum collatione poterit colligi. Et ideo certiùs tenenda*

nenda ſunt, quæ modò de hoc eximio martyre collecta conſcribimus, quàm illa, quæ de quolibet alio Sancto ſine auctoris nomine paſſim ſcripta relegimus: præſertim cùm hæc, quæ ſcribimus, de antiquariorum antiqua ſcriptùra ſint, velut ex prato non Pariſiaco ſed Paradiſiaco. Non auro contra carum emerim hoc genus antitheſeos, quæ magnum aliquod & ſingulare myſterium importat. Amplectenda eſt conficiendæ Dionyſij hiſtoriæ præfatio, quam Hilduinus adhibet: *Nulla hiſtoria ſic probabilis poterit, vel debet haberi, quàm ea quæ de veridicorum præcipuè orthodoxorum collatione poterit colligi.* Sed huic præfationi nihil præter verba ſubiicit: *Hæc quæ ſcribimus, de antiquariorum antiqua doctrina ſunt, velut ex prato non Pariſiaco, ſed Paradiſiaco.* Hoc exponere confutare eſt, quinam quæſo ſunt illi antiquarij? Lucas-ne Euangeliſta, Euſebius, Ambroſius, quibus impoſuit quod voluit? An Ariſtarchus Græcorum Chronographus, vel Visbius, quem nemo vidit vnquam, tantùm abeſt, vt quis conſcriptionem illius viderit? An denique Fortunatus presbyter vel Eugenius Toletanus Epiſcopus, quibus hymnos ſubiecit Hilduinus, vel eius collegæ? Ecce tibi pratum non Pariſiacum, non Paradiſiacum, ſed monaſticum, in quo veritatis dignitas aut mendacio defloreſcit, aut deprauatione extinguitur.

VI. In eodem reſcripto cum Gregorio Turonenſi ſic agit: *Parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi Gregorij Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quàm ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis, aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto literis*

commendauit. Candidi & ſinceri eſt hominis aliorum ſimplicitati veniam dare. Hilduinus autem quantum ingenuitate in ſcribendo valeat, iam oſtendimus, & poſtea oſtendemus, quamuis quæ notauimus, abunde ſufficiant. Ad rem ipſam quod attinet: ſimplicitas eſt credulitas, quæ in optimi cuiuſque mentem facilè irrepit: nec ego diffiteri vellem, quin aliquando in Gregorij mentem irrepſerit. Sed iſtud neutiquam accidit, cùm ad hiſtoriam Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi aggreſſus eſt. Vix enim argumentum vllum aliud diligentiùs tractauit aut ſinceriùs; quod præ ceteris verba ipſa demonſtrant in libri I. Hiſt. capite XXVIII. *Sub Decio verò Imperatore multa bella aduerſus nomen Chriſtianum exoriuntur.* & paullò pòſt: *Huius tempore ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini denarrat: Ait enim: ſub Decio & Grato Conſulibus ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana ciuitas S. Saturninum habere cœperat ſacerdotem: Hi ergo miſſi ſunt: Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Stremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. De his verò beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diuerſis pro Chriſti nomine adfectus pœnis præſentem vitam gladio imminente finiuit.* Gregorius nihil ex ſeipſo ſcribit, ſed ex auctore æquali vel tempore proximo, qui beati martyris Saturnini hiſtoriam conficit, & in ea Præſulum aliorum ſex miſſionem exequitur. Hiſtori-

Digitized by Google

cus ſe ſuo in opere ſedulam nauaſſe operam ſignificat, cùm ait: *Sub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur*, &c. Siquis hiſtoricum illum in ſcribenda Saturnini hiſtoria non meliori, quàm Hilduinum in ſcribenda Dionyſij hiſtoria fide verſatum eſſe oſtenderet, nihil reponerem. Vtrumque in eadem naſſa includerem, neutri crederem, vel ſi Hilduinus Visbij conſcriptionem ab antiquo nominis alicuius ſcriptore laudatam demonſtraret: auctorem vitæ Sancti Saturnini & illius Vindicem Gregorium procul abiicerem, tantum abeſt, vt tueri ac defendere cogitarem: oblati certaminis conditionem quis recuſet? præter Hilduinum nullus recuſabit vnquam. Interim Hiſtorico credimus & Gregorio, qui Hiſtorici illius narrationem & auctoritate & ſimplicitate ſua confirmat: auctoritate quidem, quòd ſcientiorem eo his in rebus Gallicana nullum agnoſcat Eccleſia; ſimplicitate verò, qualem Hilduinus intelligit. quòd ſi Areopagiticæ miſſionis rumor fuiſſet quamlibet ἀδέσποτος, & leuis, eum notaſſet. nullum notauit, quia nullus erat. Deinde Hilduinus impoſturis faciendis ſic aſſuetus eſt & aſſiduus, vt temperare ſibi non potuerit, quin præter ſimplicitatem, Gregorio crimen aliud fictum obiecerit: ſic enim paullo antè obiicit: *& quòd Gregorius Turonenſis ſicut in paſſione Sancti Saturnini legiſſe ſe dixerat, ſub autumatione memoret iſtud, ipſum tempore perſecutionis Decij ſub beato Sixto cum aliis ſex Epiſcopis in has regiones fuiſſe directum.* At Gregorius nunquam & nuſquam dixit Saturninum & alios ſex Epiſcopos ſub bea-

to Sixro miſſos fuiſſe in Gallias. Semel atque iterum dixit ſub Decio, ſemel in libri I. Hiſt. capite XXVIII. quod antè laudauimus, iterum in libri x. capite XXXI. vbi de Gatiano agit. *Gratianus ſeu Gatianus anno imperij Decij primo à Romana Sedis Papa tranſmiſſus eſt.* Hîc non nominat quis ille Papa fuerit, nec in libri de Gloria Confeſſorum cap. XXVII. vbi de Martiali: *Igitur Sanctus Martialis Epiſcopus à Romanis miſſus Epiſcopis, in vrbe Lemouicina prædicare exorſus eſt.* Nec in eiuſdem libri capite XXX. vbi de Stremonio: *Per Sanctum etiam Stremonium, qui & ipſe à Romanis Epiſcopis cum Gatiano beatiſſimo & reliquis, quos memorauimus, eſt directus.* Hæc autem omnia cùm ita ſint, de Hilduino non poſſumus cum ratione dicere, quod Hilduinus de Gregorio ſine ratione dixit. Non inquam de Hilduino cum ratione dicere poſſumus: *Parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi Hilduini Abbatis monaſterij Sancti Dionyſij, qui multa aliter, quàm ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto, literis commendauit.* Sed id poſſumus de Baronio dicere, quem Hilduinus in errores grauiſſimos induxit.

VII. In eodem reſcripto, *Fortunatus*, inquit, *de natione Dionyſij, & ordinatione Epiſcopatus mentionem non facit, quia lingua Græcæ penitus expers fuit.* Egregiam verò rationem! de natione & Epiſcopali ordinatione Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi Fortunatus non loquitur, quia rudis & imperitus linguæ Græcæ fuit. Conditionis igitur deterioris erit hominibus, qui quamlibet linguæ Græcæ, Latinæque expertes, de Areopagi-

ta tamen, déque eius in Galliis Apoſtolatu loquuntur, imò & ſcribunt nonnunquam? Deinde cùm Fortunatus ignoret, an Areopagita fuerit ille Dionyſius, qui miſſus eſt à Clemente, cur tibi, Hilduine, Dionyſius Pariſienſis à Clemente miſſus idem eſt, qui Areopagita, ſi Fortunato idem non ſit tuo? Præterea Hilduinus gratìs ſibi ſumit, quod neceſſariò probandum foret: ſcilicet Fortunatum linguæ Græcæ prorſus expertem fuiſſe. Id autem ſibi ſumit non contentus hymno, quem monachus aliquis Fortunato ſuppoſuerat. Suppoſtor peccauerat in propria monaſterij commoda, cùm miſſum à Clemente Dionyſium Areopagitam fuiſſe non cecinerat. Detrimentum hoc reſarcit, qui Eugenio Toletano carmen ſubiecit. Nam quidquid Fortunatus omiſerat, præclarè cecinit. Hoc loco iuuat Hilduinianæ opinionis ortum & progreſſum animaduertere. Fuerunt, qui primùm Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum à Clemente miſſum dixerunt, deinde fuerunt qui eum Dionyſium cum Areopagita confuderint. Confuſionis huius auctor Hilduinus, qui tamen ne auctor videretur, vel alius monachus ſuppoſuit quæcunque ab eo ſuppoſita in oculis omnium defiximus.

VIII. In eodem reſcripto Hilduinus ſibi monſtra fingit quæ debellet. *Ceſſet*, inquit, *quòd idem Areopagites non ſit Dionyſius, execrabilis & profana nimis contentio.* Quis vnquam negauit id quod negatum eſſe clamat? Immo verò quid ſibi vult, quod ab aliis negatum eſſe queritur, *idem Areopagites non eſt Dionyſius?* Adhæc in Actibus Apoſtolorum Dionyſius dicitur Areopagita, non

Digitized by Google

Areopagita dicitur Dionyſius.

IX. In eodem reſcripto Hilduinus cùm perſpiceret, veram ſibi deeſſe hiſtoriam, quam ſcripturus erat falſam, conuitiis & terroribus præmuniendam eſſe ſtatuit : ſic autem loquitur: *Ceſſet quod idem Areopagites non ſit Dionyſius, exitiabilis & profana nimis contentio: quia qui famam martyris derogare aliquo modo geſtit, veritati ſine dubio, cui teſtimonium perhibens, tanta transfretando maria, in tam longinquam regionem exulari, & pro ea pati ſic acerbiſſimè ſuſtulit, detrahere cæca fronte & imbecilli virtute contendit. Nam vt verè impius & peruicax iudicandus erit, qui poſt tot ratas ſententias opinioni ſuæ hinc aliquid animo peruerſo tractandum reliquerit: Ita quiſquis poſt veritatem repertam quiddam ex hoc vlteriùs dubitauerit, quoniam ex ſtudio mendacium quærit, comes & diſcipulus eius, qui ab initio mendax & pater mendacij extitit, non immeritò rectorum decreto erit. Et quanta ſit hebetudo ſuſurronum, peſſimi generis hominum, æſtimare non valeo, qui doctorem egregium & eximium martyrem ſe habere, ſi gloriam patriæ ſuæ, ſuámque quærerent, contendere debuiſſent, potiùs ſe cùm habeant, non habere immurmurent. Quanta quoque ſit mentium amentium peruerſitas, dolere, vt res poſtulat, nequeo, quæ cùm votis & laudum præconiis martyrem glorioſum ſuis iniquitatibus debuiſſent conciliare propitium, detractione & famæ minoratione laborant, quantùm ex ipſis eſt, ſibi habere infeſtum.* Hæc ille, qui neſciit, bonæ cauſæ tuendæ diſceptantium modeſtiam nocere non poſſe, nec opus eſſe veritati patrocinio dicacitatis. Sed quia bonam cauſam minimè tuetur, ad pro-

bra & minas confugit : ſcilicet, vt quos ad ſui conſenſum legitimo veterum teſtimonio & ratione pertrahere non poteſt, eos partim his artibus, partim auctoritate, qua multùm apud Imperatorem valet, pertrahat. Qui quærendæ atque ex ſuis legibus aſſerendæ veritati ſtudent, qui ad ſcribendam Sanctorum vitam aggrediuntur, longè aliter ſe gerunt, aliter præfantur.

Quid memorem Petrum Damianum, qui vitæ Sancti Mauri Cæſenatis Epiſcopi ſic præfatur? *Cupientes aliquid ſcribere ad gloriam Dei noſtri de beato Mauro Pontifice ſic auditorum deſiderio ſatisfacere cupimus, vt iuxta digeſta relationis modum veritati per omnia conſulamus. Contemnendus quippe pincerna eſt, qui dum vini copiam iactat, fæcem quoque punienda temeritate propinat. Improbus oppipator eſt, qui tanta ambitione aliis conuiuium præparat, vt in ſemetipſum æſtuantis famis incendium ſæuire permittat. Temerarius nihilominus narrator eſt, qui dum laudum præconiis alios extollere nititur, ipſe mergi in falſitatis barathrum non veretur. Nonnulli enim ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad deferenda laudis eius inſignia falſitatis argumenta componunt, qui nimirum ſi egregij prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non ſentirent. Ait enim Corinthiis: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, vana eſt fides veſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit. Secundùm hæc ergo Apoſtolica verba falſus teſtis Dei meritò dicitur, qui indiſcretè eum cupiens laudare mentitur, & aduerſus Deum procul dubio perhibet teſtimonium quiſquis in eius*

laude peruerſa molitur arte commentum. & poſt pauca: *Hinc eſt quod per Hieremiam de mendaciis dicitur: Docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. Qui enim ſimplicem veritatem vltro oblatam proferre facilè poterant, ſatagunt, vt mendacia cum labore confingant.* & poſt alia: *Hîc autem vbi de beati viri virtutibus pauca quæ ſcribi debeant, præſto ſunt, vtilius arbitramur ad ædificationem audientium, ad quam omnis Eccleſiaſtica intendit ſcriptura, in proœmio contra mendacium ſcribere, quàm pro narrationis inopia ipſam hiſtoriam mendaciorum finibus protelare.*

Quid eundem referam in prologo vitæ beati Romualdi? *Nonnulli*, inquit, *Deo ſe deferre exiſtimant, ſi in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant. Hi nimirum ignorantes Deum noſtro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipſe eſt, de falſitatis illi putant ſe placere commento. Quos bene Hieremias redarguit dicens: Docuere linguas ſuas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. Qui enim vltro oblatam ſimplicem veritatem referre facilè poterant, in componendis quæ neſciunt, caſſo labore defendant, & quo ſe pro Deo ſtare quaſi adiutores autumant, eo reuera vt falſi teſtes contra Deum pertinaciter pugnant, Apoſtolo Corinthiis atteſtante, qui ait: ſi Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra. Deinde ſubiungit: Inuenimur falſi teſtes Dei, quoniam diximus teſtimonium aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit.*

Quid eundem expromam in vitæ Dominici Ferrati cap. I. *Abſit à me mendacium ſcribere. Nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commen-*

Digitized by Google

tum fallaciæ non admitto. Neque enim illud nos latet Apoſtoli, qui cùm præmiſiſſet: ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra, ſtatim ſubiungit: Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. In quibus Apoſtolicæ ſententiæ verbis vt diutiùs non immoremur, in promptu lector intelligit, quoniam qui vel Deum vel Dei ſeruum mirabile quid feciſſe confingit, non modò fabricati mendacij præmium non meretur, verumetiam aduerſus eum, quem laudauerat, falſum teſtimonium protuliſſe conuincitur.

Quid comparem auctorem vitæ Sancti Hermanni Stemueldenſis Canonici, qui ſic proloquitur: *Ieſu Chriſte coram tuis oculis hoc non timeo proteſtari, qui es teſtis in cælo fidelis, me ex propoſito nihil fictum deſcribere, ſed ea, quæ à ſuis familiariſſimis, vel ab eius ore cognoui, vel quæ apud fratres ita celebri opinione vulgata ſunt, vt iis nulla tergiuerſatione debeat contradici, ſunt tamen pauciſſima, quæ non à certis relatoribus fide dignis, vel ab eius ore fideli mihi facta fuerint manifeſta. Ob quam etiam cauſam me oportet quædam mirificè ſilentio præterire, quæ licèt firmiter credam vera eſſe, tamen, quia radicem veritatis non habeo, id eſt, teſtes de viſu & auditu, ſcripturæ veritatis nolui pro certis dubia commendare.*

Quid denique recenſeam alios, qui ſimili modo præfantur, nec Hilduinum in his, quæ retulimus, imitantur?

x. Inſcriptio paſſionis Sancti Dionyſij paſſionem ipſam ſuſpectam reddit. Hæc eſt huiuſ-

Digitized by Google

modi: *Incipit paſſio Sanctiſſimi Dionyſij, qui à loco Areopagita, & patriotico prænomine Ionicus, Chriſtiano autem agnomine eſt appellatus Macarius, à Sancto Paulo Apoſtolo Athenienſium ordinatus Archiepiſcopus. Apoſtolica verò auctoritate beati Clementis Papæ totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus.* Sic ergo nominatur, *Ionicus Dionyſius Areopagita Macarius.*

I. Si nomen, *Ionicus*, Dionyſij Areopagitæ prænomen fuit, illud ei ab initio imponi debuit. Impoſitum verò fuiſſe quis dixit vnquam? non Lucas Euangeliſta, cui prima Dionyſij Areopagitæ accepta ferenda eſt cognitio: non Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, non Euſebius, non alij? Adiectiuum nomen eſt, quod ex Ionia deriuatur, & cunctis Ionibus conuenit. Id vox *patrioticum,* Græcis tamen & Latinis veteribus ignota ſignificat. Sed Dionyſius hic è Thracia non ex Ionia oriundus erat, vt Cæſarius Gregorij Nazianzeni frater teſtatur in dialogi II. interrogatione CXII. *In Thracia Martem ab execratione cognominatum, ex qua nobis tanquam ex immorigero Eſau Dionyſius Areopagita ortus eſt, qui fuit diuinorum Apoſtolorum diſcipulus.*

II. Si nomen, *Macarius*, Dionyſij Areopagitæ agnomen fuit ab hominis Chriſtiani nomine quæſitum, egreſſus è lauacro Dionyſius agnomen illud obtinuit. Obtinuiſſe verò ſilent Græci & Latini Scriptores omnes, qui Dionyſij Areopagitæ meminerunt. Deinde nomen, *Macarius*, & proprium & appellatiuum eſt, proprium quidem, vt apud omnes conſtat; fuerunt enim Gentiles & Chriſtiani, qui Macarij vocarentur: ap-

pellatiuum verò, quod beatum & felicem hominem deſignat. Hoc autem ad tribuendum agnomen Dionyſio quid conducit? quid attinet? Agnomen quippe extrinſecus, ſeu ratione, ſeu caſu aliquo comparatur. quomodo hic Africani,ille Aſiatici agnomen habuit,& ſic Chriſtianum nomen agnomen eſſe non poteſt, cùm in Chriſtianos omnes & ſingulos quadret. fideles omnes apud beatum Paulum οἱ ἅγιοι id eſt *Sancti* nominantur, ſed nomen iſtud agnomen eſſe nullus ſomniauit vnquam.

III. Propoſitio hæc, *Dionyſius à Paulo Athenienſium ordinatus Archiepiſcopus*, aliam atque aliam Hilduini imperitiam oſtendit; tunc vrbs Athenæ metropolis non erat, ſed Corinthus: neque etiam *Archiepiſcopi* nomen vſum acceperat in Eccleſia. Hoc nomen vix ac ne vix quidem ante Nicænum Concilium reperitur. Illius ortum & progreſſum perſequor in capite VI. part. IV. Aſſert. Inquiſit. in chartam immunitatis Sancti Germani.

IV. Inſcriptionis pars vltima hæc, *Apoſtolica auctoritate beati Clementis totius Galliæ conſtitutus Apoſtolus*, obruitur annorum octingentorum ſilentio, quæ tamen linguis omnibus Græcis & Latinis prædicanda fuit. Poſt tot annorum ſpatium Hilduinus primus eſt, à quo Dionyſius Areopagita honorem illum ac dignitatem conſecutus eſt.

Porro tot & tanti errores, quot habet relata inſcriptio, Hilduino quidem non abiudicant paſſionem Sancti Dionyſij, ſed abiudicant veritati. Illuſtre ſpecimen eſt, ex quo quid de reli-

Digitized by Google

quo opere cenſendum ſit, cognoſci facilè poteſt.

XI. In eadem paſſione poſtquam falsò dixit Athenas fuiſſe magnarum vrbium metropolim, ſubiungit, *hæc ſita eſt in Attica Helladis prouincia.* Sed Attica regio erat Græciæ inter Achaïam & Macedoniam ſita, non prouincia: Corinthus ſeu Achaïa prouincia erat, in qua vrbs Athenæ.

XII. In eadem paſſione de aduentu Pauli in illam vrbem ſic diſſerit: *Vbi in aduentu Pauli quidam vir nobilis erat, qui ſymmiſtes, id eſt, conſecretalis Apollo Cronoſpagita, quoniam in eadem vrbis regione ceteros præcellebat, nominabatur, cuiuſdam Apollinis nobiliſſimi Athenienſium principis proſapia deriuatus, cuius pater Nicolaus vir magni ingenij, literarum ſtudio pollens, ciuis & Argolicæ artis magiſter fuit. Huius igitur filius Apollo, dum inter Philoſophorum ſcholas clarus haberetur, & authenticas bibliothecas reuolueret, deditúſque eſſet Philoſophiæ & vanis ſuperſtitionibus ritu paganorum, audiuit Paulum Apoſtolum noua & inaudita antea dogmata prædicantem; & cùm ei reſiſtere non valeret, inuenit veram eſſe doctrinam, quam Paulus apud Athenas docuit. Relinquens ergo dæmoniacas ludificationes & gentilitias adinuentiones, prouolutus Apoſtoli pedibus, deprecatus e[illegible]t eum, vt illi veram doctrinam, & viam ſalutis oſtenderet, ſeque Chriſti & non Saturnini, profeſſus eſt fore diſcipulum.* De hac tota re altiſſimum eſt apud Lucam & tractatores Eccleſiaſticos ſilentium. Hæc omnia Hilduini commentorum numerum augent. In Actuum Apoſtolicorum

capite XVIII. nonnulla ſunt, quæ Hilduinus in ſua commenta fortaſsè detorſit: *Iudaus autem quidam*, inquit Lucas, *Apollos nomine, Alexandrinus natione, vir eloquens deuenit Epheſum, potens in ſcripturis. Hic erat edoctus viam Domini; & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ ſunt Ieſu, ſciens tantùm baptiſma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cùm audiſſent Priſcilla & Aquila aſſumpſerunt eum, & diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini.* Quidquid ſit de hoc Actorum loco, Hilduino ſoli notus fuit conſecretalis Apollo Cronoſpagita, Nicolaï viri illuſtriſſimi filius, quem Paulus ad fidem Chriſti conuerterit.

XIII. In eadem paſſione alia de Dionyſio commenta ſubiicit: *His ita geſtis cùm vocis nouitate Athenienſes permoti quadam die Paulum ad Areopagum duxiſſent, vt ibi examen ſua doctrina acciperet, adorſus eſt Dionyſium, qui ob plenitudinem diuinæ ſupernorum numinum ſcientiæ Theoſophus, id eſt, Deum ſapiens, & à regione vrbis, qua ſedulo commorabatur, & innatus principabatur. Areopagita genuino quaſi vocabulo vtebatur, altiſſimo primi & magni Dionyſij, non illius Semelæ vel Deucalionis, ſed eius, qui vitis inuentor apud Athenas inſignis eſt habitus, longiſſima & clara propagine propagatus.* Hilduinus Dionyſium facit non Chriſtianum modò, ſed etiam ſummum inter Chriſtianos Theologum antequam ille Chriſtianorum ſacris imbutus eſſet: *Paulus*, inquit, *adorſus eſt Dionyſium, qui ob plenitudinem diuinæ ſupernorum numinum ſcientiæ Theoſophus, id eſt, Deum ſapiens*, &c. Deinde in iis quæ

Digitized by Google

ad Dionyſij natales attinent, luculentiſſimum fabulatorem agit, & monachis combibonibus nonnihil fauet.

XIV. In eadem paſſione de Dionyſio Areopagita ſcribit, quæ cum epiſtolis Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi non ſatis cohærent, & maiorum patrocinio carent: *Ab eodem Paulo Apoſtolo Athenienſium eſt ordinatus Antiſtes, ac deinde ipſo iubente Chriſti Euangelium prædicauit, eandémque ciuitatem & maximam partem patriæ ad fidem veritatis conuertit.* Si Dionyſius Athenienſium ciuitatem ita facilè & citò conuertiſſet ad fidem Chriſti, credibile non eſt id accidiſſe, quod Dionyſius Corinthius in Epiſtola ad Athenienſes teſtatur apud Euſebium libri IV. Hiſt. cap. XXII. *Altera*, inquit Euſebius, *ad Athenienſes miſſa, quæ illos & ad vitam ex Euangelij præſcripto piè degendam excitet, qua ſpreta & contempta, eos vehementer redarguit, quòd à verbo Dei penitus fere ab eo tempore deſciſcere cœpiſſent, quo Publius, qui illis præfuit, martyrium ob perſecutionum tempeſtates tum quidem ingruentes fortè perpeſſus eſt.* At Publius Dionyſio proximè ſucceſſit. Præterea veterum Græcorum vel Latinorum nullus eſt, qui maximam patriæ illius partem ab Areopagita fide imbutam ſcripſerit.

XV. In eadem paſſione Dionyſium ſcribentem facit ad Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopum, antequam hic Epiſcopus crearetur. quod ſic oſtendo. Dionyſius ad Polycarpum ſcribit multis antè annis, quàm è Græcia in Galliam conceſſiſſet. Hilduinus id ſignificat, dum Areo-

pagitæ librorum ſeriem exponit : *Polycarpo*, inquit, *Smyrnæorum Epiſcopo epiſtolam quaſi Apologeticam miſit.* Deinde poſt alia: *Nam cùm impiiſſimus Nero terra marique imperij ſui fræna laxaſſet, & nimiæ voluptatis ſucceſſu, inter cetera nequitiarum ſuarum cumulamenta etiam furor crudelitatis eius dira rabie in Chriſti famulos ebuliiſſet, quarto decimo imperij ſui anno antequam Beatus Dionyſius Romam adiret, Sanctos Dei Apoſtolos, alterum per Crucis trophæum, alterum autem gladio animaduerſum felici cruore perfuſos, & martyrij gloria dignos tranſmiſit ad ſuperos.* Sic Dionyſius Athenis Romam venit anno poſt Petri & Pauli martyrium decimoquarto, qui in annum Chriſti LXXXIV. incidit: tum Dionyſius à Clemente in Galliam miſſus eſt. Atque ita Dionyſius longè ante hunc annum LXXXIV. ad Polycarpum ſcripſiſſe debuit, ſed Polycarpus nondum erat Epiſcopus, qui martyrio conſumptus eſt anno Chriſti C L X I X. vt teſtatum habemus apud Euſebium in lib. IV. Hiſt. cap. XIV. *Antonino cognomento Pio cùm vigeſimum ſecundum annum imperij ſui confeciſſet, M. Aurelius Verus eius filius, qui & Antoninus dictus eſt, cum Lucio fratre, ſucceſſit. Eodem tempore Polycarpus cùm Aſia maximis perſecutionum procellis turbaretur, martyrio ſupremum vitæ diem agit.* & poſt alia : *Præſidi, cùm ampliùs inſtaret, diceretque, Iurato & conuiciis Chriſtum afficito, & te dimittam; reſpondit Polycarpus: Octoginta ſex annos illi iam inſeruiui.* In Epiſcopatu hos annos inſeruiſſe vix poteſt intelligi, cùm tunc centum annos & ampliùs natus fuiſſet: ſed in Hilduini gratiam intelligatur,

Digitized by Google

Polycarpus creatus fuiſſet Epiſcopus anno Chriſti LXXXIV. quo iuxta Hilduinum Dionyſius in Galliam venit. Præterea argumentum epiſtolæ, quam ad Polycarpum ſcribit, pati non videtur, vt ad eum anno Epiſcopatus primo ſcriberet. Ad extremum Hilduinus tradit Dionyſium alia multa in Oriente feciſſe, poſtquam ad Polycarpum ſcripſit. Nam & ad Apollophanium & Demophylum, Titum, & Ioannem Apoſtolum literas direxit, & plura expoſuit myſteria, quæ Hilduinus cupidiſſimè recenſet. quibus recenſitis docet, quâ ratione & quando Romam Dionyſius perrexit.

XVI. In eadem paſſione Hilduinus ſcribit, quæ nullus antè ſcripſerat, & Clementem inducit ineptè loquentem, & laudantem ſcripturas vulgatæ editionis: *Vides*, inquit S. Clemens, *mi frater chariſſime Macari Dionyſi, quanta eſt meſſis Dominicæ ſationis, & quàm pauci ſunt operarij. Quia ergo de omnibus Catholicæ pietatis es ſufficienter edoctus, & omni Chriſtiana virtute ac religione admodum roboratus, perge in nomine Domini partes aggrediens Occidentis, & vt bonus miles Chriſti præliare prælia Domini Dei tui: atque ſicut Dominus Ieſus Chriſtus magiſtro meo Petro tradidit, & ego ſanctæ hæreditatis iure ſuſcepi, vt in ligandi ſoluendique auctoritate tibi ſemper præſto ſit diuina poteſtas noſtris orationibus comitatus, & Sanctorum Apoſtolorum interceſſionibus roboratus in tui Apoſtolatus ſorte Apoſtolica noſtra auctoritate omnem ſuſcipiens Galliam opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, vt Chriſti notitia per te vtique diffuſa; à Domino in die retributionis merearis*

rearis audire: Euge ſerue bone & fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, & ne verearis multitudinem & atrocitatem gentis barbaricæ, pro certo ſciens, quia qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Socios quoque ei & comminiſtros verbi plures & probatos viros adhibuit, illique dixit: Sicut fuit Dominus cum dominis, & patribus ac magiſtris noſtris Apoſtolis ſuis Petro & Paulo, ita ſit tecum in omnibus quocunque te verteris. Eſto robuſtus: tu enim maximam & innumerabilem populi multitudinem introduces in veram repromiſſionis terram filiorum Iſraël. Et dans pacem omnibus ita hanc veræ fraternitatis ſocietatem ſoluit abire.

Et primùm quidem ineptè loquentem inducit Clementem, dum ipſe Clemens Dionyſium ſic affatur: *Quia ergo de omnibus Catholicæ pietatis es ſufficienter edoctus, & omni Chriſtiana virtute ac religione admodum roboratus, perge.* Hæc notat Hilduinus poſtquam notauit, Dionyſium libros de Cæleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia, de diuinis nominibus, & de myſtica Theologia ſcripſiſſe, & his libris præſtantius nihil eſſe vel excellentius, à Paulo inſtitutum eſſe Athenienſium Antiſtitem, ciuitatem magnam, & maximam partem patriæ ad Chriſti fidem conuertiſſe. Poſt hæc omnia Clemens dicit Dionyſio, *quia de omnibus Catholicæ pietatis es ſufficienter edoctus, perge.* Hoc ita poſito, nonne Hilduinus Clementem ineptè loquentem inducit? Adde quòd Clemens Apoſtolos Petrum & Paulum *dominos ſuos* vocet. Quæ allocutio Clementis

Digitized by Google

æuo inaudita eſt in ſcriptis Patrum. Hilduini eſt, non Clementis.

Deinde Clemens laudat ſcripturas vulgatæ editionis, quam in vſu fuiſſe tunc nemo dixerit.

Poſtremò in conſtitutionibus, quæ Clementi adſcribuntur, de multis ab eo creatis Epiſcopis fit ſermo, ſed de Areopagita Dionyſio nihil omnino traditur. Silet paſſionis libellus, quem antiquiſſimum vocat. Quare Hilduinus eſt omnium primus, cui Dionyſij Apoſtolatus per totam Galliam innotuerit.

XVII. In eadem paſſione quæ verba ſequuntur, Hilduinum ludibrio virorum doctorum exponunt: *Tunc memorata Pariſiorum ciuitas vt ſedes regia, & conuentu Gallorum ac Germanorum & nobilitate pollebat.* Quo tempore Hilduinus miſſum à Clemente eſſe Dionyſium contendit, dicere Lutetiam fuiſſe ſedem regiam garrire & ineptire eſt, ac dictum huiuſmodi auctoris ſui ignorantiam mirificè prodit. Adhæc Gallorum ac Germanorum conuentu ac nobilitate tunc inclaruiſſe Lutetiam, quo veterum teſtimonio confirmaretur? Ad Domitiani Imperium retrahit, quod poſt Dagoberti primi Francorum Regis tempus dici vtcunque potuit. Id colligimus ex Audoëno Rotomagenſi Epiſcopo, qui in lib. I. de Vita S. Eligij cap. X. hæc ſcribit: *Eligius nonnunquam agmen integrum, & vſque ad centum animas, cùm naui egrederentur vtriuſque ſexus ex diuerſis gentibus venientes pariter liberabat, Romanorum ſcilicet, Gallorum atque Britannorum, necnon Maurorum, ſed præcipuè ex*

Digitized by Google

genere Saxonum, qui abunde eo tempore veluti greges à ſuis ſedibus euulſi in diuerſa diſtrahebantur. Sic habito hunc ad euentum reſpectu Pariſiorum ciuitas dici potuit Gallorum & Germanorum conuentu & nobilitate pollere. Sed aliud eſt tempus, quo Domitianus, aliud quo Clodoueus II. Dagoberti filius regnauit. Inter vtrumque interſunt anni plus minus ſexcenti.

XVIII. In eadem paſſione Hilduinus Dionyſio conſilium tribuit, quod viro Apoſtolico indignum eſt: *Tunc memorata Pariſiorum ciuitas vt ſedes regia, & conuentu Gallorum ac Germanorum & nobilitate pollebat, quia erat ſalubris aëre, iucunda flumine, fœcunda terris, arboribus nemoroſa & vineis vberrima, conſtipata populis, referta commerciis, ac variis commeatibus, vnda fluminis circumferente. Quæ ſiquidem inter multimoda commoditatum genera, etiam alueo ſuo magnam piſcium copiam ciuibus miniſtrabat. Hunc ergo locum Dei famulus elegit expetendum.* Hæc commoditatum genera nec Apoſtoli, nec homines Apoſtolici quærebant. Iniuriam illis facit Hilduinus, qui eos illa quæſiiſſe putat. Non memini me legere vnquam, qui ſimile quid de Apoſtolis, vel Apoſtolicis hominibus prodiderit.

XIX. In eadem paſſione Hilduinus Ruſticum ſemel atque iterum & tertiò nominat Archipresbyterum, cuius tunc in Eccleſia Pariſienſi mentio eſſe non potuit: *Cum quo* (Dionyſio) *etiam beatum virum Ruſticum Archipreſbyterum, & Eleutherium Archidiaconum, quos ipſe famulus Domini in ſuis ordinibus conſecrarat, prædicationis & diuini obſequij comminiſtros perſecutorum dirus fu-*

Digitized by Google

ror inuenit. Iterum : *Dionyſius vnà cum ſancto Ruſtico Archipreſbytero & Eleutherio Archidiacono ſuo, Præfecti præſentiæ ſiſtitur* Tertiò, *Caſula Ruſtici Archipreſbyteri.* Archipresbyter dicitur, qui presbyteris præeſt. Fuiſſe tunc in Pariſienſi Eccleſia multos presbyteros quis probandum in ſe reciperet. Dignitas hæc datâ Eccleſiæ pace & conſtitutis in eodem loco presbyteris exorta eſt. Præterea, qui ante Hilduinum Ruſtici meminerunt, Ruſticum presbyterum non Archipresbyterum dixere. Tum demum ante Pipinum Regem vix inuenitur nomen Ruſtici, tantùm abeſt, vt ille in vetuſtioribus monumentis Archipresbyter nuncupetur.

xx. In eadem paſſione Hilduinus Lisbium facit Pariſienſium martyrum primicerium, cuius apud veteres nulla vſquam mentio : *Cùm hæc agerentur, & ſecum, Præfectus ſcilicet, & ſancti Domini quererentur, quædam inclyta familiæ matrona nobilis, multo comitatu ſtipata, nomine Larcia ſuperuenit, compellens Præfectum, à Dionyſio Ionico, agnomine Macario, virum ſuum Liſbium, magicis artibus mente captum, & eius transgreſſoribus ſociatum. Qui ſtatim quæſitus, repertus eſt & adductus, atque in Chriſti nominis confeſſione, Præfecto dictante, ſententiam mortis excipiens tranſmiſſus eſt vita perpetua.* Ecce tibi vir nobilis Lisbius, qui primus Lutetiæ fidem accepit, vt antea Hilduinus memorat, & qui primus acceptam fidem ſuo ſanguine conſecrauit. Sed cui Martyrologium nullum diem natalitij adſcribit, quem Baſilica nulla honeſtat : vno verbo, qui ab illo tempore vſque ad eundem Hilduinum obliuio-

Digitized by Google

ni perpetuæ datus eſt. Aquenſes, Gregorius Turonenſis, Vſuardus, Ado, Mitrium ſeu Metriam conditione ſeruum vt Confeſſorem vel Martyrem vindicarunt. Sed Pariſienſes, Gregorium, Vſuardum, Adonem non vindicaſſe Lisbium conditione nobilem, ſiquis tunc fuiſſet martyr nomine Lisbius, quis prudens & attentus in animum induceret ſuum?

XXI. In eadem paſſione Hilduinus Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium Præfecto reſpondentes facit, quo modo poſt Nicænum Concilium reſpondiſſent. *Cui Præfectus: dic ergo cuius numinis te profiteris eſſe cultorem, & cuius conditionis te aſſeris. Tunc hi tres beatiſſimi viri Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius ita dono ſancti Spiritus inſpirati, & zelo fidei inflammati, ſono vnius vocis eiſdémque verbis, cùm nonniſi vnus interrogaretur, reddidere reſponſum, ac ſi vnius hominis ore ſermo procederet. In hoc, inquiunt, manifeſtum eſt, nos eſſe veriſſimos Chriſtianos, cùm corde credamus, ore confiteamur, & opere pio colamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum ac Dominum, ita vt in Trinitate perfecta, & plenitudo ſit diuinitatis & vnitas poteſtatis. Dominum autem noſtrum Ieſum Chriſtum, vnam ex eadem ſancta Trinitate perſonam, Deum ante tempora ſæcularia hominem verum propter ſalutem hominum, ex B. Maria ſemper Virgine in fine temporum factum, paſſum, mortuum & ſepultum, & ab inferis reſuſcitatum ſedere ad dexteram paternæ maieſtatis in excelſis, ſuper omnem principatum, & poteſtatem cæleſtem, venturum ad iudicandos viuos & mortuos, & ſæculum per ignem,*

Digitized by Google

in melius immutandum fideliter prædicamus. Sub Domitiano ſic explicatum fuiſſe Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis myſterium, ſic diſpoſitam fidei regulam & ſymbolum nullus præter Hilduinum literis mandare poterat. Hanc Areopagitæ confeſſionem cur Græci, cur Latini Patres Ario, Eunomio, Macedonio, Sabellio, Photino, Neſtorio, Eutycheti non oppoſuerint, Hilduini ſectatores cauſabuntur nuſquam. Ad hanc fidei confeſſionem hæretici omnes illi pereunt ac diffugiunt.

XXII. In eadem paſſione Hilduinus Larciam nobiliſſimam Lisbij coniugem martyrio coronatam exhibet, quam vt maritum fortuna par conſecuta eſt. *Quod ſtupendum miraculum* (geſtatio capitis in Dionyſio) *cùm ſuperiùs fata Larcia conſpexiſſet, proſiluit in infidelium turbas, & vociferata eſt, & ſe eſſe Chriſti gratia Chriſtianam. Quæ mox capta & in Chriſti Domini noſtri confeſſione ſanguinis ſui fonte ab immunditiis idolorum occubuit, baptizata in remiſſionem peccatorum.* De hac igitur muliere nobili martyre ſilet Pariſienſis Eccleſia, ſilet Gregorius Turonenſis, ſilet laudatus ab Hilduino libellus paſſionis Dionyſij, ſilet Vſuardus, ſilet Ado. Silent omnes: poſt annos octingentos Hilduinus vnus loquitur, ac proinde nullus. *Quod cùm*, vt ait Baronius, *de rebus tam antiquis ſine vetuſtioris alicuius teſtimonio profertur, contemnitur.*

XXIII. In eadem paſſione narrat, quibus artibus Catulla mulier adhuc ſuperſtitioſa Beati Dionyſij corpus furata ſit, & ſepulturæ mandauerit. Sed narrationem iſtam fabuloſam eſſe

Digitized by Google

docuimus in obſeruatione XIX. & XX. Iudicij noſtri de Hadriani Valeſij diſceptatione, quæ de Baſilicis inſcribitur. quare quæ ibi diximus hîc repetere ſuperuacaneum foret.

XXIV. In eadem paſſione Hilduinus Ruſtico & Eleutherio tribuit veſtimenta Eccleſiaſtica, quæ tunc nondum erant in vſu: *Sanctorum quoque corporibus digna veneratione ſepultis, eorum veſtimenta, tunica videlicet, cilicium & caligæ Dionyſij pretioſi, & caſula Sancti Ruſtici Archipreſbyteri, atque dalmatica beati Eleutherij Archidiaconi, exceptis portionibus, quæ pro reliquiis electorum Domini, à fidelium deuotione ſumptæ ſunt, vſque hodie debiti cultus reuerentia conſeruantur.* Amalarius Hilduino æqualis ſcribit, *inſtitutam eſſe à Silueſtro Papa dalmaticam.* Strabo dicit, *Silueſtrum ordinaſſe, vt diaconi dalmaticis in Eccleſia vterentur, & primùm quidem ſacerdotes dalmaticis ante caſularum vſum indutos, poſtea verò cùm caſulis vti cœpiſſent, dalmaticas diaconibus conceſſiſſe.* Gregorius Magnus dalmaticarum vſum Aregio Vapincenſi Epiſcopo & huius Archidiacono concedit in libri VII. indict. II. epiſtola CXIII. ad eundem Aregium: *Præterea communis filius Petrus diaconus nobis innotuit, quòd fraternitas veſtra tempore quo hìc fuit, popoſcerit, vt ſibi & Archidiacono ſuo vtendi dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia ita hominum ſuorum infirmitate compulſus feſtinanter abſceſſit, vt nec ipſum mœror incumbens diutius, vt dignum erat, & res deſiderata poſcebat, ſineret imminere, & nos in multis implicitos, Eccleſiaſticæ rationis conſideratio nouum hoc inconſultè, & ſubitò non permit-*

teret indulgere; idcirco poſtulatæ rei prolongatus effectus eſt. Nunc verò charitatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoritatis noſtræ ſerie petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum dalmaticarum vſu decorandos eſſe conceſſimus. Ad æuum Apoſtolicum reuocat veſtes, quibus presbyteri & diaconi temporis ſui vti ſolebant.

XXV. In eadem paſſione Dionyſij martyrium in monte collocat: *Quorum memoranda & glorioſiſſima paſſio è regione vrbis Pariſiorum in colle, qui antea mons Mercurij, quoniam inibi idolum ipſius principaliter colebatur à Gallis, nunc verò mons Martyrum vocatur, Sanctorum Domini gratia, qui ibi triumphale martyrium perpetrarunt, celebrata eſt.* At poſt annos octingentos primus omnium Hilduinus id dixit. In vrbe paſſum eſſe, & in ea turritum habuiſſe tumulum ſignificat Gregorius Turonenſis, quod latiùs perſequor in obſeruatione XV. XVI. & XXI. Iudicij de Hadriani Valeſij Diſceptatione de Baſilicis. Præterea libellus paſſionis quem vocat antiquiſſimum, pro loco martyrij montem illum non aſſignat: immo ne montis quidem illius meminit.

XXVI. In eadem paſſione gratìs & ſine maiorum auctoritate deſignat Chriſti, Domitiani, atque ætatis annum, quo Dionyſius martyrium impleuit. VII. *Idus Octob. anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti nonageſimo ſexto, à paſſione autem ſexageſimo quarto, ætatis verò beatiſſimi Dionyſij circiter nonageſimo, imperij quoque Domitiani decimo ſexto ingruente.* In libello paſſionis notatur quidem dies VII. Idus Octobris,

ſed neque Chriſti, neque Domitiani, neque ætatis annus notatur. Deinde annus Chriſti nonageſimus ſextus, & annus à paſſione Domini ſexageſimus quartus inter ſe non concordant. Nam hic annus à paſſione Domini ſexageſimus quartus anno ab Incarnatione Domini nonageſimo octauo reſpondet, non nonageſimo ſexto. Tum ann. Chriſti nonageſimus ſextus non quadrat in annum Domitiani decimum ſextum, ſed decimum tertium. Præterea annus à paſſione Domini ſexageſimus quartus in annum Domitiani decimum quintum incidit, non verò in annum decimum ſextum. Deinde Domitianus morti traditus eſt anno imperij ſui decimo quinto, ac die inſuper quinto, XIV. Calend. Octobris, non autem anno decimo ſexto ingruente. Poſtremò hac annorum computatione Dionyſio Areopagitæ detrahit librum diuinorum nominum, quem illi in eadem paſſione vindicat. In hoc libro citatur Ignatij locus Epiſtolæ ad Romanos, quæ multis poſt Domitiani mortem annis ſcripta eſt. Hîc errores ſunt fere plures, quàm verba, quibus errores deſcribuntur.

Hæc pauca de multis, quæ cùm in Hilduini reſcripto ad Imperatorem, & in epiſtola ad cunctos Catholicæ Eccleſiæ filios, tum in paſſione Sancti Dionyſij obſeruari poſſunt. Reliquum eſt modò, vt quædam alia mantiſſæ loco animaduertamus.

1. Hilduinus in ſcribendo tot tantiſque peccatis obſtrinxit ſeſe, vt in iis, quæ ſolus memorat, fidem nullam mereatur. Sed quod grauius, excuſari non poteſt, quo modo Gregorium Tu-

ronenſem excuſare voluit. quis enim auderet dicere? *Parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi* Hilduini Abbatis monaſterij Sancti Dionyſij, *qui multa aliter, quàm veri as ſe habeat, æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis & ſimplicitatis voto literis commendauit.* Hinc lugendi ſunt Baronius, qui & in Annalibus, & in notis ad Martyrologium, Martinus Delrius, qui in Vindiciis Areopagiticis, Antonius Poſſeuinus qui in Apparatu ſacro, Iacobus Galterius, qui in tabula Chronographica, ſcriptores alij, qui variis in operibus Hilduino auctoritatis multum tribuerunt.

II. Hilduinus Dionyſio aſſerit miracula, quæ neque Fortunatus, neque Gregorius Turonenſis, neque veteres vlli notarunt; non aſſerit verò, quæ Gregorius notauit. In vno parùm verax, in altero negligens haberi debet.

III. Hilduinus non meminit geſtorum Dagoberti in iis, quæ ad monaſterium Sancti Dionyſij pertinent; non facit Dagobertum monaſterij fundatorem. Silet priuilegia & immunitates omnes, quas Rex apud Iacobum Dubletium monaſterio conceſſit. Silet dedicatam à Chriſto Baſilicam: ſilet inuentionem ſanctorum corporum. quæ Dagoberti Regis tempore facta legitur. quo ex capite conſtat, hæc omnia à recentioribus Hilduino monachis conficta eſſe, vt initia monaſterij ſui auguſtiora redderent.

IV. Quæcunque de Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo in diuerſarum Eccleſiarum officiis leguntur, Hilduino vni accepta ſunt ferenda. Quamobrem his Officiis ſeu Breuiariis non alia, quàm

Hilduino fides debetur. Tertullianus in libri de velandis virginibus capite 1. *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum.* Quod Baronius ad annum CIX. his verbis expreſſit: *Veritatis iura ſunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum ſæculorum valeant præſcriptione lædi, nec innumera teſtium multitudine obrui atque labefactari.*

V. In Hilduini reſcripto vnum occurrit, quod illi niſi per ſe, certè κτ' συμβεβηκὸς laudem conciliat. Hoc iam ſemel atque iterum, & forſan tertiò aliàs notaui, & nunc adhuc noto. Hilduinus citat Hiſtoriam Eccleſiaſticam, vbi Creſcens dicitur ad Galatas profectus, &c. *Legitur,* inquit, *ſic in eadem Eccleſiaſtica Hiſtoria capitulo quarto libro tertio: Memorantur autem ex comitibus Pauli Creſcens quidem ad Galatas eſſe profectus.* Vtilitates loci huius ſunt numero quatuor. Primùm, ex eo colligitur, vitiatam eſſe Euſebij Hiſtoriam, in qua nunc ſic habetur: τῶν δὲ λοιπῶν ἀκολούθων τοῦ Παύλου, Κρέσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας σειλάμενος ὑπ' αὐτοῦ μαρτυρεῖται. Rufinus cùm Latinè vertit Euſebij Hiſtoriam, non vertiſſet, *Creſcens ad Galatas profectus*, ſi quo tempore illam vertit, idem fuiſſet, qui nunc eſt textus. Vertiſſet *in Gallias*, vel, *ad Gallias*, vel vt eſt apud Paulum, qui citatur ab Euſebio, *in Galatiam*, ἐπὶ τὴν Γαλατίαν.

Deinde colligitur, corruptam eſſe Rufini verſionem, vbi nunc legitur, *Memorantur autem ex comitibus Pauli Creſcens quidem ad Gallias profectus*, &c. Si Rufinus ita vertiſſet, Hildui-

nus ita legiſſet, & continuò laudaſſet. Neutrum feciſſe eum docet reſcriptum ad Imperatorem.

Tum colligitur, quidquid ab recentioribus hodierno Euſebij & Rufini textui inædificatur, malè materiato & ruinoſo fundamento inædificari.

Poſtremò colligitur, hodiernum Euſebij & Rufini textum emendandum eſſe, & reſtituendum quidem apud Euſebium, ἐπὶ τὴν Γαλατίαν, apud Rufinum verò *ad Galatas*. Sic Plinius rectè dixit, *nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet.*

DE HINCMARI Remenſis Epiſtola ad Carolum Imperatorem de Dionyſio Areopagita, Iudicium.

Epiſtola hæc refertur & diſpungitur.

DOMINO *glorioſo Carolo Imperatori auguſto Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus ac plebis Dei famulus. Lecta Beati Dionyſij paſſione à Methodio Conſtantinopolim Roma directo, Græcè dictata, & ab Anaſtaſio vtriuſque linguæ perito, & vndecunque doctiſſimo ſanctæ Sedis Apoſtolicæ bibliothecario Latinè conſcripta, ſicut in præfatione ſua narrat, recognoui his, quæ ibi*

ſcripta ſunt, ea quæ in adoleſcentia legeram, conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij Beati Dionyſij ſociorùmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad notitiam Græcorum peruenerint. Nam quando Deo diſponente in Francono-furth palatio natus eſtis, Hucberto præcentori palatij Epiſcopium Meldenſis ciuitatis commiſſum eſt, vbi propter Hilderici Epiſcopi ætatis prolixitatem & diutinam ægritudinem quædam ad ſcientiam & religionem pertinentia, necnon & ædificia, ac cetera quæque neceſſaria, neglecta inuenit. Quapropter à familiari ſuo Bodone clerico domini & nutritoris mei Hilduini Abbatis ſacri palatij clericorum ſummi quendam clericum ipſius Bodonis propinquum nomine Vuandelmarum, qui cantilenam optimè à Teugario magiſtro in Sancti Dionyſij monaſterio didicit, ad erudiendos clericos ſuos obtinuit. Cui Abbatiolam beati Sanctini in beneficium dedit. Iſdem autem Vuandelmarus in loco ſibi commiſſo quaterniunculos valde contritos, & quæ in eis ſcripta fuerant, penè deleta, de vita & actibus B. Sanctini reperit, quos propter notitiam familiaritatis, & quia me ſciolum putabat, ad exhaurienda ea, quæ in iiſdem quaterniunculis contineri videbantur, & ad tranſſcribendum apertè in noua pergamena mihi commiſit. Quod & ſtudiosè peregi, & mihi commendata, commendanti reſtitui. Sed quia diu eſt, quòd idem Vuandelmarus etiam ante obitum Hucberti defunctus fuit, & ſicut audiui, idem locus neglectus extitit, ac demum in eadem vrbe Nortmanni fuerunt, & quædam incendio ibi concremauerunt, quædam verò prædantes diripuerunt, neſcio, ſi ipſi quaterniunculi, vel eorum exemplaria in ea-

dem vrbe valeant reperiri. Propterea exemplar eorum, quod mihi retinui, veſtro deuoto, & bono ſtudio offerendum putaui, vt ſi qua ſunt illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & patrem noſtrum, patronum veſtrum Dionyſium eſſe Areopagitem à beato Paulo Apoſtolo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græca teſtificatio, & ſanctæ Sedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum & in hac cauſa, quod longè ante nos dictum eſt, recognoſcant, quia veritas ſæpiùs exagitata magis ſplendeſcit in lucem.

Sanctus Areopagites Dionyſius egregia Pauli Apoſtoli prædicatione, fidei veritate illuminatus, & in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis baptizatus, demùmque cæleſtium myſterorium arcanis ſufficienter inſtructus, Athenienſium eſt ordinatus Epiſcopus. Procedente autem tempore magiſtri deſiderio de beati Petri amore, quem vnà cum præceptore ſuo Paulo apud ſepulcrum vitæ principis viderat & docentem audierat, per reuelationem ordinata ſibi commiſſa Eccleſia Romam venit, quos nequiſſimi Neronis crudelitate iam martyrio coronatos inuenit, & à beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore amabiliter ac honorabiliter ſuſceptus, poſt aliquod ſpatium temporis cum aliis ad eroganda diuini verbi ſemina in Gallias eſt directus. Qui prædicando & ſermonem confirmando ſequentibus ſignis Pariſios ducente Domino peruenit.

Deſtinatis quoque ſociis per diuerſas ciuitates ad dolos diaboli deſtruendos, & populos Domino acquirendos Sanctinum ordinauit Epiſcopum, & Carnotum eos illuminare, qui in tenebris & in vmbra

mortis erant inſpirante Domino miſit: vbi eum per aliquod temporis immorari diſpoſuit. Poſtea verò Meldenſium ciuitati Paſtorem & Epiſcopum eſſe conſtituit, eiúſque ſuffragio Antoninum, qui iunior ad diſtinctionem ſenioris Antonini prænominabatur, adhibuit. Domitianus denique impiiſſimus Cæſar poſt Neronem ſæuiſſima perſecutione in Chriſtianos exæſtuans, lictores ad perquirendum & comprehendendum Dionyſium, cuius famam in deſtruendis idolis & conuertendis ad Chriſtum populis per multos audierat, in Gallias miſit, vt eum diligenter perquirerent, & inuentum ac comprehenſum aut idolis ſacrificare cogerent, aut diuerſis ſuppliciis affectum occiderent.

Quos cùm Beatus Dionyſius ad fines Pariſiorum appropinquare comperit, Sanctinum & Antoninum ad ſe accerſiuit, quibus præcepit vt ſermones & agones ipſius ſolerter intenderent, & memoriæ commendarent, ac quibus tormentorum generibus per paſſionum ſupplicia corporis vitam finiret, conſpicientes, Romanæ Sedis Pontifici & fidelibus, quos tunc ibidem inuenerint (quia vnde in orbem Chriſtianorum perſecutio procedebat, illic ardentiùs conflagrabat) per ordinem nunciare quantociùs ſtuderent, eóſque obnixè depoſcerent, vt Athenienſium ciuibus ea nota facerent, quatenus & ipſi Domino pro curſu laborum eius impleto gratias agerent, & erga cultum eius bono animo fierent. Conſummato ſiquidem Beato Dionyſio per martyrij palmam Sanctinus & Antoninus, ſicut eis præceptum fuerat, Romam iter maturauerunt: & venientes in Italiam, Antoninus valida febre correptus eſt. In cuius obſequiis per aliquot dies Sanctinus immoratus, conſilio &

conſenſu eiuſdem Antonini, ne præceptio Beati Dionyſij quacunque occaſione impediretur, peragere cœptum iter diſpoſuit, & ſufficienter xeniis ac honeſtis linteis principi domus, in qua iacebat Antoninus, commiſſis petiit, & per Dominum obteſtatus eſt eum, vt ſi Antoninus conualeſceret, exinde illi abundantiſſimè miniſtraret, ſi etiam de vita decederet, honeſtiſſimè ſepeliret. & ſic iter, quod cœperat, peragendum arripuit.

Et cùm Sanctinus fines Romanorum iam contigit, Antoninus vita deceſſit. Quem princeps domus retentis omnibus, quæ ſibi in obſequiis eius commendanda fuerant, catabuli ſui, in quo animalia eius manebant, axes leuauit, & in foſſam, vbi ſtercora & vrina animalium deſluebant, proiecit, & deſuper axes remiſit. Quæ mox omnia Sanctinus per Spiritum ſanctum cognouit, & cum maxima feſtinatione reuerſus ad domum, in qua Antoninum iacentem dimiſerat, flens ac dolens peruenit, & principem domus interrogauit: Vbi eſt, inquiens, Antoninus frater meus chariſſimus? Is autem fictis gemitibus ac ſuſpiriis ſimulata mœſtitia: Mortuus eſt, inquit, quem de mihi à te commiſſis honeſtiſſimè ſepeliui. Cui Sanctinus: Mentiris, inquit, fili diaboli, in ſterquilinium proieciſti eum virum ſanctum & iuſtum. & nunc veni mecum ad catabuli locum, in quem proieciſſet eum. Is autem timore perculſus, non eſt auſus reniti, quin cum eo veniret ad locum, vbi eum proiecerat. Et leuantes inde axes, Sanctinus cum lacrymis clamauit voce magna dicens: Antonine frater in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro cuius nomine & amore paſſus eſt glorioſiſſimus Martyr Dionyſius, ſurge, & perficiamus

mus

mus ſimul obedientiam, quam idem pater & magiſter noſter communiter nobis præcepit. Et ſtatim Antoninus ſtercore obuolutus ſurrexit, quem Sanctinus de catabuli foſſa extraxit, & diligentiſſimè lauit, & mundis ac honeſtiſſimis veſtibus induit: ſicque offerentes Domino ſacrificium laudis, Euchariſtiæ, corporis & ſanguinis Chriſti participati ſunt, & accipientes cibum confortati ſunt, & iter cœptum aggredientes Romam auxiliante Domino peruenerunt, & iam beato Clemente Martyre coronato in eadem Sede S. Anacletum natione Græcum de Athenis, qui fuerat à B. Petro Apoſtolo preſbyter ordinatus, conſecratum Pontificem inuenerunt. Cui per omnia, ſicut eis beatus Dionyſius iuſſerat, actus & martyrij eius ordinem narrauerunt. Perfectóque negotio ad ciuitatem Meldenſium reuerſi fuerunt. Vbi ſanctæ prædicationi ac piis operibus inſiſtentes, Sanctinus plenus fide, virtutibus ac bonis operibus ad cæleſtia regna tranſiuit. Cui Antoninus in Epiſcopatu ſucceſſit, & per plures annos in ſancto officio degens, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro migrauit ad Dominum. Cui eſt honor & gloria per omnia ſæculorum ſæcula. Amen.

Et primò quidem obſeruandum eſt; hanc epiſtolam ab Hincmaro ſcriptam eſſe, quo tempore Carolus Caluus Imperator erat, ac proinde circa annum DCCCLXXVI. & DCCCLXXVII. & ſub finem vitæ Hincmari, quem mors abſtulit anno DCCCLXXXII. Hoc igitur obſeruandum eſt, vt intelligatur, quò ſpectet initium epiſtolæ: *Lecta Beati Dionyſij paſſione à Methodio Conſtantinopolim Roma directo, Græcè dictata, & ab Anaſtaſio vtriuſque linguæ perito ſanctæ Sedis Apo-*

Digitized by Google

ſtolica Bibliothecario Latinè conſcripta, ſicut in paſſione ſua narrat, recognoui his quæ ibi ſcripta ſunt, ea, quæ in adoleſcentia legeram, conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij Beati Dionyſij ſociorúmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad notitiam Græcorum peruenerint.

Baronius ad annum DCCCXXXIV. animaduertit, Methodium Hilduini opera Dionyſij Hiſtoriam Græcè ſcripſiſſe: quo fit, vt non alia Methodio, quàm Hilduino fides in rebus geſtis Dionyſij habenda ſit: quæ Hilduinus Methodio ſuggeſſit, Methodius oratione Græca donauit: qua verò integritate Hilduinus Dionyſij tractauit Hiſtoriam ſuprà docuimus.

Deinde Methodius presbyter Roma Conſtantinopolim mittitur, & ibi ſcribit vitam Dionyſij, quæ ſtatim ab Anaſtaſio Bibliothecario Latinè vertitur: qua in re affectatio & cautio nimia facilè deprehendi poteſt: quid enim opus eſt, vt quo fere tempore Dionyſij vita editur à Methodio, eodem & Latinè traducatur ab Anaſtaſio, præſertim cùm ſuppeteret Dionyſij paſſio, quam Hilduinus tunc literis prodiderat? Cauſam hanc prætexit Anaſtaſius in epiſtola ad Carolum Imperatorem. *Ceſſet ergo iam quorundam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore & virtutibus redolet, cùm hoc & Græcorum quoque ſtilus cum Latina lingua concordans, teſtetur & prædicet.* quis non videt monachos Sancti Dionyſij cantilenam hanc inſuſurraſſe Anaſtaſio? non vrgeo. Id verba per ſeipſa declarant apertiſſimè.

Digitized by Google

Tum, Hincmarus cùm äit, in opere Methodij & Anaſtaſij recognouiſſe ſe ea, quæ in adoleſcentia legerat, cum illo conſonare, profectò ſignificat tempus, quo Hilduinus Areopagitica ſua lucubrauerat. Quare omnia quæ ad Dionyſium Areopagitam pertinent, ad Hilduinum tanquam ad fontem & originem reuertuntur. Quod omnino confirmant verba hæc: *Recognoui per quos ac qualiter geſta martyrij B. Dionyſij ſociorùmque eius ad Romanorum cognitionem, indéque ad notitiam Græcorum peruenerint.* Sic geſta martyrij Dionyſij ab Hilduino Romani, & à Romanis Græci didicerunt.

Quartò, Hincmarus & Anaſtaſius nos docent, Hilduinum non potuiſſe ſuis ſcriptis efficere, vt traditio prima eáque vetus, quam auctor vitæ Sancti Saturnini, & Gregorius Turonenſis vindicauerant, penitus abrogaretur. Hinc monachi Sancti Dionyſij circa annum DCCCLXXVII & DCCCLXXVII. quo imperabat Carolus, tentarunt id abſoluere, quod Hilduinus circa annum DCCCXXIV. & DCCCXXXIV. inchoauerat. Hilduinus opinionem nouam induxerat, inductam ſectatores illius accerſitis Roma & Conſtantinopoli machinis firmare ſtatuerunt. Sed imbelles ex eo ſunt machinæ, quòd eas primùm fabricauerant, & Romam ac Conſtantinopolim miſerant, vnde poſtea in Galliam & in monaſterium Sancti Dionyſij reducerentur. Fraudes ſunt & fallaciæ, quibus nihil planè deeſt, niſi quòd occultari nequeant.

Quintò, nunc meridiana luce clarius apparet, quibus tum demum finibus, quibus tem-

Digitized by Google

porum ſpatiis terminetur hæc oratio. *Qui negabant Dominum & Patrem noſtrum, Patronum veſtrum Dionyſium eſſe Areopagitam, à beato Paulo Apoſtolo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his, quæ Græca teſtificatio & ſanctæ Sedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum & in hac cauſa, quod longè ante nos dictum eſt, recognoſcant.* Teſtificatio Græca ad originem recenſa ſiſtit in Methodio, Romanæ Sedis atteſtatio in Anaſtaſio, & Gallicana conteſtatio in Hilduino. Sed ita ſiſtit, vt Græca teſtificatio, & Romanæ Sedis atteſtatio ab Hilduini vnius fide pendeant. Hoc conſtituto Gallicana perit conteſtatio, & hac pereunte conteſtatione ſtare nequeunt Græca teſtificatio, & Romanæ Sedis atteſtatio.

Sextò, Hincmarus cùm ait Dionyſium Areopagitam fuiſſe Pariſienſem Epiſcopum, non recordatur Martyrologij Eccleſiæ ſuæ, vbi ſic habetur: v. Nonas Octobris. *Natalis Beati Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo apud Athenas Epiſcopus ordinatus ibidem glorioſo martyrio eſt coronatus.* VII. Idus Octob. *Pariſius Beatiſſimorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi.* Non recordatur, inquam, quia vix dubito, quin Martyrologium Hincmarianæ ſcriptionis tempus, id eſt, annum DCCCLXXVI. aut DCCCLXXVII. anteceſſerit, ſiue quia vetuſtiſſimum ſit Martyrologium, ſiue quia non licuiſſet in Eccleſia Remenſi aliter ſentire, quàm Hincmarus ad Carolum Imperatorem ſcribens ſenſerat. quòd ſi quis licuiſſe velit aliter ſentire,

Digitized by Google

indicium eſt certiſſimum, Remenſes procul abiecta Hilduini & Hincmari nouitate antiquam traditionem, quæ Martyrologio exprimitur, retinuiſſe.

Septimò, Hincmarus cùm ait, *Dionyſij ſocios fuiſſe per varias ciuitates deſtinatos*, quinam illi fuerint ſocij, non exponit: ſiquis dicat eos eſſe, qui nominantur in beati Saturnini hiſtoria, ſine auctoritate veterum repugnantem traditioni priſtinæ Hincmarum faciet, & in manifeſtiſſimum errorem coniiciet. Siquis contendat eos eſſe, qui in paſſione Fuſciani & Victorici deſcribuntur: Hincmarus contradicere ſibi videbitur. Nam in Sueſſionenſi Concilio, quod anno DCCCLXVI. habitum eſt, ſubſcribit Sollemniacenſis monaſterij priuilegio, vbi Dionyſij ſocij dicuntur Criſpinus & Criſpinianus, qui Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ad Eccleſiæ vulnera peruenerunt. Priuilegij verba ſunt: *Elegius Viromandenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amore ſupernæ hæreditatis accenſus cœnobium ipſum in Lemouicino rure, quod Sollemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei, & veneratione Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Martyrum Dionyſij, & ſociorum eius Criſpini atque Criſpiniani, necnon* &c. *ædificare ſategit.* In Fuſciani & Victorici paſſione Criſpinus & Criſpinianus Dionyſij comites appellantur. Si Hincmarus vt Dionyſium ita & Criſpinum ac Criſpinianum ad Clementem reuocet, à contradictionis laqueo ſeſe quidem eximet, ſed in culpam aliam haud leuiorem incidet.

Octauò, *Dionyſius Sanctinum ordinauit Epiſco-*

Digitized by Google

pum, & Carnotum eos illuminare, qui in tenebris, & in vmbra mortis erant, miſit: vbi eum per aliquod tempus immorari diſpoſuit. Poſt annos à Chriſto octingentos ſeptuaginta ſex Hincmarus omnium primus eſt, qui ordinationis huiuſmodi meminerit. Hanc ordinationem vel ipſe finxit, vel ex apocryphis ſcripturis aſſeruit. Hilduinus non meminit, qui tot res partim incertas partim falſas ſuis intulit commentariis. Ordinationis huius epocha inter annum Chriſti DCCCXXXIV. quo Hilduinus ſcripſit, & annum DCCCLXXVI. aut DCCCLXXVII. quo Hincmarus, deſigenda eſt.

Nonò, Hincmarus pergit: *Poſtea verò Meldenſium ciuitati Paſtorem & Epiſcopum eſſe conſtituit, eiúſque ſuffragio Antoninum, qui iunior, ad diſtinctionem ſenioris Antonini prænominabatur, adhibuit.* Quid Sanctinus Carnuti fecerit, an plures, an paucos, an nullos ad fidem conuerterit, non refert. Et tamen perinde ac ſi Carnutenſes ciues omnes vel multos conuertiſſet, Dionyſius illum reuocat, & Meldenſem Epiſcopum conſtituit. Nec in Sanctini locum Carnuti Paſtorem alium ſufficit. Quidquid id eſt, ab Hincmaro ſine veterum teſtimonio narratur. Obruitur taciturnitate octingentorum ampliùs ſæculorum. Præterea inducit Antoninos duos. Iuniorem vnum, ſeniorem alterum. Iuniorem Sanctino adiungit. Seniorem in otio & in tenebris relinquit, & quid illo tum demum fiat, Hincmarus planè ſilet. quid eſt hoc Antoninos duos obtrudere, cùm ne vnus quidem extiterit, aut ſaltem extitiſſe probari poſſit? In ſumma Hilduini ſilentium perficit, vt narrationis huius ea-

dem quæ ſuperioris epocha conſtituenda ſit.

Decimò, Hincmarus ſcribit, quomodo Domitianus Chriſtianorum hoſtis acerrimus Dionyſium perquiri, comprehendique iuſſerit, vt vel gentile ſacrificium faciat, vel ſuppliciis quibuſcunque affectus trucidetur. Sed hoc ita ſcribit, vt Imperator Sanctino & Antonino parcere videatur. Quod omnino mirum eſt, cùm non minùs eſſent rei, quàm Dionyſius. Sanctinus & Antoninus homines ſunt Dionyſio recèns adiuncti. Ideóque vitam in pace depoſuerunt. Qui adiunxerunt, obliti ſunt eos martyrio dare; quòd vtique eorum animus tranquilla temporis ſui conditione occuparetur.

Vndecimò, nunc accedimus ad illam ſedulitatem, quæ à primis Chriſtianis in tantum abhorret, in quantum abhorrere poteſt : *Quos* (Domitiani lictores) *cùm Beatus Dionyſius ad fines Pariſiorum appropinquare comperit, Sanctinum & Antoninum ad ſe accerſiuit, quibus præcepit, vt ſermones & agones ipſius ſolerter intenderent, & memoriæ commendarent, ac quibus tormentorum generibus per paſſionum ſupplicia corporis vitam finirent, conſpicientes, Romanæ Sedis Pontifici & fidelibus, quos tunc ibidem inuenerint per ordinem nunciare quantociùs ſtuderent, eáſque obnixè depoſcerent, vt Athenienſium ciuibus ea nota facerent, quatenus & ipſi Domino pro curſu laborum eius impleto gratias agerent, & erga cultum eius bono animo fierent.* Quaſi Dionyſius Sanctino & Antonino præciperet; iudicum interrogationes & reſponſiones obſeruate, quibus me ſuppliciis carnifices afficient, notate, agones & martyrium meum lite-

ris prodite, & ſignificate hæc omnia Romano Pontifici, Chriſtianis reliquis, & præſertim Athenienſibus, vt me tanquam ſanctum Martyrem colant & venerentur. Hæ non ſunt cogitationes martyrum, ſed delirantium ſomnia, hæc non ſunt prima fidelium ſtudia, ſed irriſorum Chriſtianæ ſimplicitatis figmenta, quæ Hincmarus recenſere non debuit. At ſcribendum fuit Hilduini operibus ſupplementum, quo Dionyſius Areopagita in Pariſienſem Epiſcopum aſſereretur.

Duodecimò, ſed pergit Hincmarus: *Conſummato ſiquidem Beato Dionyſio per martyrij palmam, Sanctinus & Antoninus, ſicut eis præceptum fuerat, Romam iter aggredi maturauerunt, & venientes in Italiam Antoninus valida febre correptus eſt, in cuius obſequiis per aliquot dies Sanctinus immoratus, conſilio, & conſenſu Antonini, ne præceptio Beati Dionyſij quacunque occaſione impediretur, peragere cœptum iter diſpoſuit, & ſufficienter xeniis ac honeſtis linteis principi domus, in qua iacebat Antoninus, commiſſis petiit, & per Dominum obteſtatus eſt eum, vt ſi Antoninus conualeſceret, exinde illi abundantiſſimè miniſtraret, ſi etiam vita decederet, honeſtiſſimè ſepeliret: & ſic iter quod cœperat, peragendum arripuit.* Vel nihil vnquam expoſitione ſua confutatum eſt, vel hoc ipſum quod retuli, confutatur. Profectò quo quis illud magis expendet, eo magis à Chriſtiana ſimplicitate deflectere iudicabit, veritatis nihil, veriſimilitudinis nihil continet.

Decimotertiò, diſſimile non eſt quod ſequitur: *Et cùm Sanctinus fines Romanorum iam contigit, Antoninus vita deceſſit, quem princeps domus,*

Digitized by Google

retentis omnibus, quæ ſibi in obſequiis eius commendata fuerant, catabuli ſui, in quo animalia eius manebant, axes leuauit, & in foſſam, vbi ſtercora & vrina animalium deſluebant, proiecit, & deſuper axes remiſit. Atque iſtud eſt anili commento inſulſius. Sanctinus & Antoninus veniunt in Italiam, hic febre corripitur & principi domus in qua iacebat, commendatur. Quaſi Italia foret aliquod diuerſorium, cuius domino Antoninus febre laborans commendaretur. Deinde apparet, hinc eum cui Sanctinus Antoninum commendauerat, fuiſſe Chriſtianis moribus imbutum, inde Gentilium ſuperſtitionibus obrutum, quòd Antonino ſepulturam aſini dederit. Periodus igitur hæc ita ſcripta eſt, vt in ſingulis eius membris Sanctini prudentia deſideretur.

Decimoquartò, res abſurdæ ſic creſcunt: *Quæ mox omnia Sanctinus per Spiritum ſanctum cognouit, & cum maxima feſtinatione reuerſus ad domum, in qua Antoninum iacentem dimiſerat, flens ac dolens peruenit, & principem domus interrogauit: Vbi eſt inquiens Antoninus frater meus chariſſimus? Is autem fictis gemitibus ac ſuſpiriis ſimulata mœſtitia, mortuus eſt, inquit, quem de mihi à te commiſſis honeſtiſſimè ſepeliui: Cui Sanctinus: Mentiris, inquit, fili diaboli, in ſterquilinium proieciſti eum virum ſanctum & iuſtum. Et nunc veni mecum ad catabuli locum, in quem proieciſti eum. Is autem timore perculſus non eſt auſus reniti, quin cum eo veniret ad locum, vbi eum proiecerat.* Narrationis huius commata ſingula tam abſurda, & omnium auribus atque animis abſona, vt ſtomachum potiùs, quàm riſum moueant.

Digitized by Google

Decimoquintò, narrationem continuat: *Et leuantes inde axes, Sanctinus cum lacrymis clamauit voce magna dicens: Antonine frater, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro cuius nomine & amore paſſus eſt glorioſiſſimus Martyr Dionyſius, ſurge, & perficiamus ſimul obedientiam, quam idem pater & magiſter noſter communiter nobis præcepit. Et ſtatim Antoninus ſtercore obuolutus ſurrexit; quem Sanctinus de catabuli foſſa extruxit, & diligentiſſimè lauit, & mundis ac honeſtiſſimis veſtibus induit, ſicque offerentes Domino ſacrificium laudis, Euchariſtiæ Corporis & Sanguinis Chriſti participati ſunt, & accipientes cibum confortati ſunt, & iter cœptum aggredientes Romam auxiliante Domino peruenerunt, & iam beato Clemente martyre coronato in eadem Sede Sanctum Anacletum natione Græcum de Athenis, qui fuerat à beato Petro Apoſtolo preſbyter ordinatus, conſecratum Pontificem inuenerunt, cui per omnia, ſicut eis Beatus Dionyſius iuſſerat, actus & martyrij eius ordinem narrauerunt.* Hæc vt & alia poſt Hilduini tempus fictis & commentitiis fabulis tradita fuerunt. Adhæc Pontificalis liber dicit quidem Anacletum fuiſſe Græcum, ſed patria Athenienſem fuiſſe non dicit. Hincmarus dicit, quò meliùs quadraret negotium.

Ceterum Hincmarus non tradit Sanctinum & Antoninum geſta & martyrium Dionyſij memoriæ mandaſſe, ſed Anacleto tantùm voce tenus expoſuiſſe; ſed à quibus hoc acceperit, non tradit. Facti tamen quæſtio eſt, & in facto verſatur. Quod ſi contigiſſet, huius cognitio nonniſi per traditionem ab Anacleti tempore deriuatam haberetur: non habetur. Quidquid id eſt,

Hincmari ætatem non antecedit: Poſterius eſt Hilduino, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd Hilduinus mentionem rei nullam fecerit, facturus, ſi tunc prodiiſſet in lucem, quod tenebræ pepererunt.

Decimoſextò, narrationem continuat & claudit: *Perfectóque negotio ad ciuitatem Meldenſem reuerſi fuerunt, vbi ſanctæ prædicationi ac piis operibus inſiſtentes Sanctinus plenus fide, virtutibus ac bonis operibus ad cæleſtia regna tranſiuit. Cui Antoninus in Epiſcopatu ſucceſſit, & per plures annos in ſancto officio degens, cum multiplici bonorum operum fructu, & animarum lucro migrauit ad Dominum.* De his duobus Meldenſium Epiſcopis, Sanctino & Antonino, contumax eſt ante Hincmarum vbique Galliarum & Chriſtiani orbis ſilentium. Poſt annos à Chriſto octingentos & ſeptuaginta ſex illorum Hincmarus primus meminit: an autem auctor hic ad aſſerendum illis Epiſcopatum Meldenſem ſufficiat,

Baronius non diceret, qui dicit in apparatu: *Quod à recentiori auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris teſtimonio profertur, contemnitur.*

Theodoretus non diceret, qui Hiſtoriæ Religioſæ ſuæ ita præfatur: *Ex iis porro quæ dicenda ſunt, aliqua ipſe vidi: quæ autem non vidi, ab iis audiui, qui viderant, viris virtutis amantibus, digniſque habitis, qui illos viderent, & eorum doctrina fruerentur. Fide autem digni Euangelicæ doctrinæ ſcriptores ſunt, non ſolùm Matthæus & Ioannes primi & magni Euangeliſtæ, qui Domini videre miracula, ſed etiam Lucas & Marcus, quos qui ab initio*

Digitized by Google

viderant, & verbi miniſtri fuerant, non ea modò quæ paſſus eſt, & quæ fecit Dominus, ſed ea etiam quæ aſſiduè docuit, accuratè docuerunt. Nam & beatus ipſe Lucas, qui ſpectator non fuerat, in principio operis ſui dicit ſe ea narrare, de quibus certior factus ſit, & nos licèt audiamus eum illa non vidiſſe, quæ narrat, ſed hanc doctrinam ab aliis accepiſſe, non minùs illi, & Marco credimus, quàm Matthæo & Ioanni. Fidem enim dum narrant ambo merentur, vt ab iis edocti qui viderant. Quare nos quoque narrabimus ea, quæ partim ipſi vidimus, partim iis qui viderant, eorúmque vitam imitabantur, narrantibus credidimus. De his autem ideo pluribus verbis differui, vt me vera narraturum perſuaderem.

Non dicerent, qui traditiones veras à falſis ſecernunt, & ad percipiendum illarum diſcrimen, certas quaſdam regulas præſcribunt, ne quæ falſa eſt traditio, pro vera, vel quæ vera, pro falſa ducatur.

Nec Carolus Magnus, nec Antiſtites, qui Capitularia illius per ordinem collocarunt, dicerent. Cur verò non dicerent cauſa hæc eſt, quòd in libri I. Capitularium num. XLII. edixerint: *vt falſa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoriæ non venerentur.*

Non dicerent ſelecti ad emendandum Romanum Martyrologium cenſores, ſiquam diligentiam in Felice II. adhibuerunt, in Sanctino & Antonino Meldenſibus adhiberent. Inprimis enim dubitarunt, num in Martyrologio nouo Felix II. collocaretur, etiamſi vt Bellarminus ait, *omnia Martyrologia antiqua tam excuſa, vt Bedæ, Adonis, Vſuardi, quàm etiam manuſcripta*

Digitized by Google

IV. *Calend. Auguſti ponant memoriam Sancti Felicis II. Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum declarauit*; etiamſi *S. Gregorius I. tam in Antiphonario, quàm in Sacramentario ponat integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad miſſam in die S. Felicis Pontificis & Martyris* IV. *Calend. Auguſti.* Dubitarunt inquam, nec antè ſublata eſt dubitatio, quàm diuina quadam prouidentia in Sanctorum Coſmæ & Damiani baſilica, inuenta fuerit hæc inſcriptio: *Hic iacet corpus Sancti Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum declarauit.* Hiſtoriam narrant Cardinales duo, Bellarminus & Baronius; hic ad annum Chr. CCCLVII. ille in lib. IV. de Rom. Pont. cap. IX.

Beda Sanctinum & Antoninum non vindicat in Martyrologio ſuo, Vſuardus Pariſienſis & ipſe monachus non vindicat, Rabanus non vindicat, Ado non vindicat, Vvandelbertus non vindicat, Notkerus non vindicat, Romanum Martyrologium, quod anno MDLIX. Venetiis editum eſt, non vindicat: ſed hodiernum vindicat Sanctinum in fide Hincmari, non vindicat Antoninum, qui tamen æquè ac Sanctinus vindicaretur. Nam de Antonino perinde ac de Sanctino Hincmarus loquitur, & qui poſtea Hincmarum ſecuti ſunt. quod animaduerſione ſumma dignum cordatus homo iudicabit.

Hodiernum, inquam, Romanum Martyrologium vindicat Sanctinum, eúmque Dionyſij Areopagitæ diſcipulum appellat. ſed idem Martyrologium in editione anni MDLXXXVI. vindicat Xynoridem Antiochenam martyrem ad IX. Calend. Februarij, & Baronius eam aſſerit ex

Chryſoſtómi homilia IV. de Lazaro, atque ex Epiſtola Hieronymi VIII. ad Demetriadem.

In conſequentibus aliis editionibus Xynoris ſublata eſt è Martyrologio, ſublata quoque Baroniana Xynoridis aſſertio, nec Pontificia impedire potuit approbatio, quin vtrumque tolleretur. Exemplo tàm illuſtri, quid Sanctino Areopagitæ diſcipulo fieri poſſet, ſatis ſuperque inſtruimur: expungeretur.

Porro in re, quæ fere inexplorata mihi videtur, ita dico, quod ſentio, vt id cuiuſcunque pij atque eruditi hominis iudicio & correctioni legitimæ ſubiectum eſſe velim.

I. Meldenſes nullum habent Sanctini ſui teſtimonium, quod auctor Carolo Magno vetuſtior ferat.

II. Meldenſes Sanctinum ab Hincmaro accipere potuerunt, ſed an acceperint reipſa, valde dubium eſt, cùm epiſtola Hincmari, antequam ſuperiori ſæculo ederetur poſt Hilduini Areopagitica, paucis innotuerit.

III. Meldenſes Epiſcopum ſuum facere potuerunt Sanctinum illum, qui Virdunenſem olim rexit Eccleſiam, & Agrippinenſi Concilio, quod anno Chriſti CCCLII. habitum eſt, interfuit. Ibi enim legitur *Sanctinus Epiſcopus à Laticlauo.* Id eſt, Virdunenſis, quòd Virdunum vrbs clauorum diceretur, vt Bertharius presbyter obſeruat. Meldenſes facti ſui occaſionem ex eo nacti ſunt, quòd Sanctini corpus aliquando habuerint. Id Hugo Flauiniacenſis Abbas teſtatur in Chronico Virdunenſi: *Iterum*, inquit, *in Francorum regno Nortmanni inſurgunt,*

& anno DCCCXCI. *Indict.* IX. *Gallias, Hiſpanias, Italiam, Franciam, & totum Chriſtianorum vaſtant regnum: ciuitates, Pariſius, Beluacus, Carnotis & Meldis antiqua non ſecùs vndique diripiuntur, vaſtantur & euertuntur. Corpora Sanctorum infra muros recipiuntur timore hoſtium. Corpus S. Benigni Diuionenſis Eccleſiæ Linguonis fertur. Sanctus Sanctinus Meldis in Eccleſia maiori poſitus, à Virdunenſibus magno pretio Virduni relatus iam erat ſuperiori tempore ann.* DCCCLXVI. Meldenſes relicto Abbate Flauiniaci poſtea ad Hincmarum confugerunt. id enim ſcribit Hincmarus, quo factum ſuum tueantur commodiùs.

IV. Meldenſes nihilominus eodem die, quo Virdunenſes, beati Sanctini feſtum celebrant. Nam Manuale Virdunenſis Eccleſiæ, quod anno MDLIV. & Manuale Meldenſis Eccleſiæ, quod anno MDXLVI. editum eſt, Sanctino diem Octobris vndecimum adſignant. Ad Vſuardi Martyrologium additiones idem faciunt, excepto, quòd Sanctinus ibi non dicatur Meldenſis Epiſcopus, ſed tantùm Virdunenſis. Sic enim tradunt: *Virduni beati Sanctini eiuſdem loci Epiſcopi & Confeſſoris.* Additiones dico, quia Vſuardus, vt nec Meldenſem, ita nec Virdunenſem Sanctinum vindicat. Sed neſcio cur Romanum hodiernum Martyrologium Sanctino Meldenſi diem Septembris vigeſimum ſecundum tribuat, cùm Meldenſes ipſi non tribuant.

V. In hoc Martyrologio Sanctinus Virdunenſis nullus apponitur, qui tamen apud Abbatem Flauiniacenſem teſtimonium habet ſanctitatis ſuæ.

Digitized by Google

v i. Siquis Sanctinos duos Virdunenſem vnum, Meldenſem alterum ex monumentis Carolo Magno antiquioribus, vel etiam tempore proximioribus offendat, ei libenter aſſentiar. Hæc ſanè quæſtio digna eſt, in quam viri pij & docti iuxtà curioſitas exerceatur. Neque verò ſatis eſt traditionis nomen velut ſiparium obtendere. traditio quippe vera, & ſuis legibus aſſerenda, & à falſis hominum inuentionibus ſecernenda eſt.

Hactenus de Hincmari epiſtola, quæ inter illius opera deſideratur. Sirmondus ſpreuit potiùs, quàm non vidit. Indignam profectò cenſuit, quæ Hincmari operibus accenſeretur. Ioannes Buſæus & Ioannes Cordeſius in ſua quiſque editione Sirmondo præiuerunt, & negligendæ epiſtolæ exemplum præbuerunt. Conſilium virorum trium adiuuat noſtra diſpunctio, quæ epiſtolæ auctoritatem omnem abrogat, & nouitatibus multis epocham conſtituit. Nam in Hincmaro qui anno MDCCCLXXXII. mortuus eſt, locum habet Baronij pronuntiatum: *Quod à recentiori auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Pronuntiati huius ſui oblitus eſt Baronius, cùm ad annum Chriſti CIX. tum in Martyrologio ad VII. Idus Octobris, vbi Hincmari epiſtolam laudat, vt Dionyſij Areopagitæ in Galliam aduentum confirmet. Baronij opinionem certam non faciunt, ſed tantùm ſequuntur Martinus Delrius in Vindiciarum Areopagiticarum capite XXIX. & alij, quos enumerare longum eſſet.

DE

DE ANASTASII Bibliothecarij ad Carolum Imp. epiſtola Iudicium.

SVPEREST modò, vt de Anaſtaſij ad Imperatorem epiſtola nonnihil dicamus. Quæ in ea de Dionyſio Athenarum & Pariſiorum Epiſcopo narrantur, iam ſuprà confutata ſunt, cùm quæ refert Anaſtaſius, Hilduinus & Hincmarus referant. Deinde quæ tradit Anaſtaſius, ex ſeipſis confutationem accipiunt: *Paſſionem*, inquit, *Sancti Hieromartyris Dionyſij quondam Areopagitæ póſtque Athenarum Antiſtitis, quam Romæ legi cùm puer eſſem, quámque à Conſtantinopolitanis legatis audieram, ſecundùm iuſſionem veſtram diu quæſitam, tandémque in maximo cœnobiorum Romæ ſitorum repertam, etiam inter diuerſos languores poſitus, accepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi, quantum potui auxiliante Deo, etſi non ex toto, verbum è verbo, ſenſum tamen penitus hauriens. Ceſſet ergo iam quorundam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore ac virtutibus redolet, cùm hoc & Græcorum quoque ſtylus cum lingua Latina concordans teſtetur & prædicet, in qua profectò natus eſt, & qua celſa ſcripta ſua contexuiſſe*

probatur: præſertim cùm manifeſtè ſciamus, præcipuos tractatores Eccleſiæ, qui Latino ſtylo ſcripſere, quid dubium in ſancta Scriptura reperientes, mox ad Græca exemplaria currere, & ad eorum ſenſum protinus à ſe omne nubilum ambiguitatis excludere. Nec mirum, ſi quiſquam Doctorum erga plurima occupatus, nec Græcorum ſcripta rimatus aliter ſenſerit, cùm ipſe Apoſtolus Petrus quædam ſic tenenda eſſe putauerit, vt meritò Coapoſtolus eius Paulus eum reprehenſibilem iudicauerit. Beatus quoque Cyprianus Doctor & Martyr quiddam de rebaptizatione definiuit, quod tota Eccleſia reiecit. Quid autem de S. Auguſtino dicemus, qui etiam libros retractationum conficiens, nonnulla, quæ ſe bene ſenſiſſe dudum putauerat, reprehendit. Hæc autem omnia quid ſibi velint, & quò pertineant ediſſerat, qui potuerit? I. S.Hieromartyr Dionyſius? II. Dionyſius quondam Areopagita, pòſt Athenarum Epiſcopus? III. *Cùm hoc Græcorum ſtylus cum Latina lingua concordans teſtetur & prædicet, in qua profectò natus eſt?* In qua, an lingua Latina, vel Græcorum ſtylo, natus eſt? IV. Petrus à Paulo iure reprehenſus? Cypriani definitio de rebaptizatione? Auguſtini libri Retractationum? ἀπροσδιόνυσα ni fallor omnia, quæ nec aſſerendæ veritati inſeruiunt, nec Anaſtaſio laudem conciliant. Poſtremò in paſſione Dionyſij à Methodio ſcripta, quam legit puer, Dionyſius VII. Calend. Octobris martyrio coronatus traditur? quid ab omni traditione alienius, ſiue duo ſint Dionyſij, Athenienſis & Pariſienſis, ſiue ſit vnus & idem? Profectò ſi hanc ſcripſit epiſtolam Anaſtaſius, paſſionem

Dionyſij à Methodio ſcriptam vt puer legit, ita & puer hanc epiſtolam ſcripſit, etiamſi anno DCCCLXXVI. ſcripſerit, & ſenex tunc fuerit; neque enim ſenilem prudentiam, ſed puerilem refert ſpeciem, quæ ex delirantis hominis ſomnio formatur. Sic aliud eſt in gratiam hominum ſcribere, quod feciſſe videtur Anaſtaſius, aliud in gratiam veritatis, quod omni partium ſtudio caret. In primo offenſiones multæ ſæpiùs interueniunt, in altero, vel nullæ, vel certè paucæ, à quibus ſibi non ſemper cauere poteſt humana conditio.

Deinde Anaſtaſius nonnulla ſubiicit, quibus Dionyſium Areopagitam à beato Ioanne Chryſoſtomo mirificè prædicatum eſſe contendit: *Sanè*, inquit, *quia nonnulli Beatum Dionyſium* πτερύγιον τοῦ οὐρανοῦ *à Græcis appellari commemorant, notandum, quòd hunc beatus Ioannes Chryſoſtomus* πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *id eſt volucrem cæli in vltimo ſermonum deſcribat.* Sed præter Anaſtaſium nullus vnquam vidit vllum Chryſoſtomi ſermonem, in quo Sanctus Doctor Areopagitam cæli volucrem appellaret. Areopagitæ bis tantùm meminit, nec ad eum quidquam addit elogij; ſemel in libri IV. de Sacerdotio, capite VII. *Rurſus Areopagita ille ſuperſtitioſiſſimæ ciuitatis illius ciuis nonne vnà cum vxore audita tantùm Pauli concione illum ſecutus eſt?* Iterum in homilia XXXIX. ſuper Acta Apoſtolorum: *Sed hæc erant admodum obſcura, attamen perſuaſit Dionyſio Areopagitæ, & aliis quibuſdam.* Qui de Areopagita loquitur tam parcè,

eum cæli volucrem appellare non cogitat. Vt Anaſtaſius & quidam alij probarent, Areopagitam diuinorum nominum, & cæleſtis Hierarchiæ libros ſcripſiſſe, illum eam ob cauſam cæli volucrem dixerunt, & à Chryſoſtomo dictum finxerunt. Sed in hac re vt & in antedictis Anaſtaſij diligentiam, & fidem deſideramus. Quòd ſi Areopagitam pro ſcriptore tam illuſtri tenuiſſet Chryſoſtomus, vix ignoratum id fuiſſet in collatione illa, quæ ad annum Chriſti DXXXII. Conſtantinopoli inter Catholicos & Seuerianos habita eſt. Hîc Seueriani Areopagitæ auctoritatem Catholicis opponunt. Catholici nec illam benigna quadam interpretatione emolliunt, nec Areopagitæ impoſturam fieri cauſantur: ſed omnino repudiant, quòd Areopagita neutiquam ſcripſiſſet. Verba ſunt eius, qui pro Catholicis loquitur: *Illa teſtimonia, qua vos Dionyſij Areopagita dicitis, vnde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? ſi enim eius erant, non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico; quando & B. Athanaſius ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia in Nicano Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet aduerſus Arij diuerſa ſubſtantia blaſphemias? ſi autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, vnde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſunt, neſcio.* Seueriani Chryſoſtomum non obiiciunt, nihil reponunt, & Catholicis dicentibus taciturnitate ſua conſentiunt.

FINIS.

IOANNIS LAVNOII PARISIENSIS THEOLOGI

ANIMADVERSIONES IN IOAN. SAMBLACATI Tholoſatis Palladium Galliæ, Dionyſium Areopagitam.

Editio ſecunda correctior & auctior.

Digitized by Google

Quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt, quoniam non fucatur pompa facundiæ, & gratiæ, ſed vt eſt, recti regula ſuſtinetur. Minutius Felix.

Digitized by Google

AD MICHAELEM
MAROLLIVM
VILLALVPENSEM ABBATEM.

ASSERTA veritas, VIR CLARISSIME, & repulſa iniuria res ſunt duæ, quæ te vnum ex omnibus maximè delectant. Non mentior. Neque id etiam permirum videtur iis, qui quantus ſit in te ſempérque fuerit ſynceri animi & æquitatis amor ac ſtudium, non ignorant. Hinc enim quotquot ſeu æmuli, ſeu fautores tua legunt opera, tibi certam quandam probitatem illuſtrem & antiquæ ingenuitatis ornamenta non poſſunt non gratulari. In hoc Animaduerſionum XIII. libello, quam veritatem eruditionum pater ille Iacobus Sirmondus aſſeruerat, aſſero, & quam iniuriam Ioannes Samblacatus immerenti viro fecerat, repello. Idque tantùm, cùm veram eſſe iniuriam demonſtro. non enim iniuria per alteram iniuriam repellitur, ſed multiplicatur. Sic tu non modò defenſor aſſertæ veritatis, ſed etiam adſcriptor repulſæ iniuriæ accedes. Aſſertam à Sirmondo ve-

Digitized by Google

ritatem tueri difficile mihi non fuit, quia Samblacatus eam nullis rationum ponderibus, ſed tantùm ingenij facultate & verborum copia impugnat. quo in negotio deprehendimus Samblacatum non hominis cordati atque eruditi, ſed cauſidici neſcio cuius, aut declamatoris de ludo vel potiùs rabulæ de foro perſonam ſuſtinere. Palladium illius puerilis eſt exercitatio, quæ ſola expoſitione ſui refellitur. In medium quidem adducit monumenta quædam Vienneníia, ſed ea nouitium inuentum redolent, & genus ſuum ementita ſunt, cùm Viennenſes auctorem adumbrare meliorem nequiuerint. Hæc corruptrices manus exararunt, vt illis ſuppeteret aliquid, quo litem cum Arelatenſibus, qui monumenta paria ediderant, conteſtarentur. Samblacatus colendum ſolum hoc vnum præcipuè ſuſcipit; in argumenti huius tractatione totus eſt cùm animo, tum corpore, ac deinceps homo ætate ingraueſcens iuueniliter exultat, Sirmondúmque per triumphum ânte currum ſuum ducit. Adiungit minuta quædam alia, eóque pacto docet, nihil eſſe tam verum, cui futiles ratiunculæ non opponantur, nihil eſſe tam certum, contra quod niſi diſputari

poſſit, non acriter tamen litigetur. Ad illatam homini claro iniuriam quod attinet, hanc operoſius foret repellere, ſi aliter, quàm contemptu repellendam aggrederer: primùm, quia in declamatorio genere verſatus non ſum: deinde, quia ſcribendi modus ille Theologum neutiquam decet: poſtremò, quia quærendæ & aſſerendæ veritati inopportunus eſt. eam conuoluit, quæ apertam in lucem proferri debet. Exagitandum eſt duntaxat mendacium, detegenda falſitas, ſed concilianda nemini inuidia. At in Samblacato id non permittunt partium ſtudia, quibus ille quaquauerſum abripitur. Rhetoricæ locus nullus eſt, in quo non habitet, & vnde aduerſarium percellere non conetur: hunc ſurſum deorſum verſat, nunc ad inferos deprimit, vt rideatur à ſuperis, nunc in altum euehit, vt ab omnibus ventis inuidiæ circumfletur. Hoc autem quid aliud eſt, præterquam factioſum agere, & vetare omnino, ne veritas indagetur, ſi cùm eſt inuenta, declamatori cuipiam diſpliceat? Verùm poſtquam ille toto eloquentiæ campo in aduerſarium decurrit, eúmque vt Tullus Hoſtilius Metium Suffetium in fruſta concerpſit, exanguem & veluti mor-

tuum hominem conuenit, excuſat, blanditur, omni beneuolentiæ & amoris teſtificatione vtitur, nec vllam illius non ſolùm laudandi, ſed etiam ornandi cauſam prætermittit. At cùm facile ſit, fraudem declamatoris vanam atque irritam oſtendere, oſtendo. Hanc ſe per ſeipſam prodere tu ipſe, VIR AMPLISSIME, indignaberis, & perſpicies continuò, Palladium, quod molibus tot & tantis exſtruxit, rimas agere, inimicum imbrem accipere, & ſingulas illius partes corruere. Hoc genus ſpectaculi animum tuum nonnihil reficiet ex aſſiduis & cotidianis laboribus, quos in publica commoda inſumis, dum hinc Dauidis pſalterium, hinc hebdomadæ maioris Officium, hinc nouum Teſtamentum, hinc Romanum Breuiarium, hinc veteres Poëtas Latinos penè omnes, Gallico eóque eleganti ac polito ſermone interpretatus es, hodiéque interpretaris; dum inſignes de rebus tuis, & aliis ætate tua geſtis commentarios exaraſti, dum alia perficis, in quibus vt & in reliquis te vt φιλόπονον, ita & φιλομαθῆ, atque exemplar æui prioris mirantur omnes ac ſuſpiciunt, dignúmque exiſtimant, cuius & nomen, & libros immortalis gloria conſequatur.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES in Ioannis Samblacati Tholoſatis Palladium Galliæ, Dionyſium Areopagitam.

ANIMADVERSIO PRIMA.

AVCTOR in toto Libelli ſui decurſu turpiter aberrat à ſcopo, quem vnum ſibi ex hoc Tertulliani loco delegit: *Religionis eſt inſtar fidem de temporibus aſſerere:* Oblata conditio accipitur: confirmandæ verò de temporibus aſſertionis modum præſcribit idem Tertullianus libro IV. contra Marcionem cap. IV. *Quis*, inquit, *inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur. In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum.* Atqui cùm auctor id nullatenus effecerit, nec de eo potiùs efficiendo cogitauerit, cecidit Cantherius in porta, & ſtationem ſuam omninò deſeruit, ad quam, vt ad carnificinam aduerſarium prouocarat, ſanguineâ priùs haſtâ ad fines illlius emiſsâ. Nonne debuit in-

primis antiquam opinionem à noua ſecernere; tum nouam antiquitate confodere, defixis per certas epochas veritatis excubitoribus? Legatur ergo Libellus, & relegatur, Areopagiticæ opinionis, ſeu miſſionis aſſertum de temporibus comparebit nihil. *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.*

Falleris, inquit: Ante Hilduinum, qui fabulæ reus agitur, magnum aliquid apparet pagina XLV. & XLVI. Quippe Cœnobium Romæ ab Stephano tertio in honorem Pariſienſis Areopagitæ conſtructum, & Cœnobij idcirco cura monachis Græcis commiſſa eſt, vnde Scholam Græcorum appellarunt. Monaſterium iſtud reuera magnum aliquid eſt, & illi magnum, idque duplex mendacium appingitur. Negas forſan? aſſero enimuero: Inprimis, quod monaſterium Paulus Stephani ſucceſſor à fundamentis excitauit, vt Paulus ipſe docet in epiſt. ad Ioannem Abbatem, & Anaſtaſius in eiuſdem vita, Stephano Pauli anteceſſori falsò tribuitur. Deinde qui monachi ex fundatoris inſtituto Græcæ pſalmodiæ vacarent, monachi natione tantùm Græci finguntur in gratiam Areopagitæ. Rem alibi latiùs explicauimus. Tum ad extremum his duobus ingentibus mendaciis, veluti ſuppedaneis à Samblacaro inuehitur nobilis Epiſcopus, cum hac epigraphe: *Ex Stephani tertij ſententia Dionyſius Pariſienſis idem, qui Areopagita.* Spectatum admiſſi riſum teneatis. Sic ergo nouit auctor fidem ſuam non de temporibus, ſed de mendaciis aſſerere.

Digitized by Google

Animadversio II.

Totvs fere quantus eſt Libellus, puerilis declamatio eſt, hiſtoricæ diſcuſſioni inopportuna, & eâ longè inſulſior, quam in Dialogo Hieronymus ſuggillat his verbis: *Rhetoricaris, & à diſputationum ſpinetis ad campos liberæ declamationis excurris*. Hinc de aulæ deliciis, & de impari cum aduerſario ſcribendi maieſtate queritur, inde totam Galliam permouet, & ſacros ordines etiam atque etiam rogat, vti periclitantibus cærimoniis, quæ omnes caſui proximæ ſunt, eant ſuccurſum: Hinc pietatem publicam, & omne præſidium Galliæ in diſcrimen adduci clamitat, inde Chriſtianam Religionem in Gallia vix olim retentum iri, quâ poteſt eloquentiâ contendit, niſi tandem Dionyſius Pariſienſis idem dicatur, qui Areopagita. In ſumma per totas tredecim paginas, quæ & initium, & magnam declamationis partem faciunt, detonantem pleniſſimis buccis Stentorem affirmares: πάντα οἴχεται, πάντα ἀνήρηται, occidimus, occidimus, conclamata ſunt omnia, ſi de duobus Dionyſiis Sirmondi Diſſertatio vel ad momentum feratur.

Ad tantam nugarum pompam, & apparatum de auctore quid diceret Hieronymus. *Riſimus*, diceret vir grauis, *in te prouerbium, Camelum vidimus ſaltitantem. Dum amorem contradicendi ſequeris, à quæſtionum lineis excidiſti, more quorundam loquacium potiùs, quàm facundorum, qui cùm diſputare neſciunt, tamen litigare non deſinunt.*

Animadversio III.

Non ſolùm auctor per paginas tredecim eo, quo notauimus, modo declamitat, & in aduerſarium de plauſtro loquitur, ſed & per totum libellum, qua data porta ruit in ventoſas quaſdam amplificationes, quibus nihil præter veræ eruditionis ſuccum deeſt, ruit in locos communes, qui ſi retorquerentur, confoderetur excipiendo, aut nullus eſſet reſpuendo: ruit in nonnulla Rhetorices ſchemata, quæ non ſunt in vſu apud maturioris ætatis homines, ſed apud literarios tantùm adoleſcentes, qui iam tum primùm in Aphthonij ſcholam ingrediuntur. His enim, dummodo certas quaſdam locutiones, quas ex Tullio & aliis compararunt, inter ſeſe vtcunque connexas, in vnam, aut alteram paginam protrahant, quælibet ſub anni principium iudicij aberrationes condonantur.

Denique à pagina XXXIV. ad paginam XLII. panegyrim dicit Hilduino, *Quem*, inquit, *multis annis ingenio parem neminem Gallia viderat.* Sic audet Declamator Hilduinum Alcuino præferre, qui Turonis tempore Caroli Magni ſcholas regebat in omni genere literarum: ſic pluris facit Hilduinum quàm Carolum Magnum, cuius tam nota eſt in Capitularibus, & aliis libris eruditio & pietas: Sic Nithardo Caroli Magni filio, Theodulfo & Ionæ Aurelianenſibus, Vſuardo monacho Pariſienſi, Agobardo Lugdunenſi, Angilramno Metenſi, Eghinardo Abbati, Amalario, Lupo Ferrarienſi, Rabano

Moguntinenſi, Hincmaro Remenſi, ceteris Hilduinum anteponit. Qui ſic ſentit, nonne ſe prodit, & in Hilduini Areopagiticis hoſpitem, & in illuſtrium huius temporis virorum cognitione peregrinum? Ita nobis de Hilduino diſſerendum eſt, vt cùm ei vera laus tribuitur, nulla falſa ſtudio partium affingatur. Ceterum parem Hilduino neminem Gallia viderat vnquam, qui cum illo ex Apoſtolorum Actis Areopagitam, & genere nobilem, & magiſterio Philoſophiæ apud Athenas claruiſſe probaret, qui ex Euſebio Cæſarienſi Dionyſium Pariſienſem eundem cum Areopagita nobis obtruderet, qui teſtatiſſima Dionyſij noſtri miracula reticeret in eius vita, qui & reliqua omnia efficeret, quæ Hilduinum in Areopagiticis effeciſſe ſuprà commonſtrauimus.

ANIMADVERSIO IV.

DECLAMATOR noſter pagina XIV. Sulpitium Seuerum aggreditur, & ad paginam vſque XXIV. pluribus modis vexat. Sed, vt cuius ſint roboris machinæ, quas adhibet, faciliùs appareat, duæ in Seueri verbis epochæ diligenter obſeruandæ ſunt; vna indefinita, altera definita; hæc prima Galliarum martyria ſpeciatim deſignat, illa ſuſceptam in Galliis Chriſti religionem reſpicit, & in certa verſatur comparatione, qua ſeriùs trans Alpes, quàm cis Alpes, id eſt, ſeriùs in Gallia, quàm in Italia ſuſceptam Chriſti religionem hiſtoricus affirmat, dum quinque primas Eccleſiæ perſecutiones deſcri-

bit, & quis quid in qualibet perſecutione paſſus ſit, vbi Chriſti religio ſuſcepta erat, recenſet. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Videſis ergo, vtrum in Seueri mentem penetremus, qui non de religione quomodocunque prædicata, ſed ſuſcepta loquitur?

De prima epocha, cui nomen Indefinitæ damus, nihil eſt, quòd multùm laboretur. Nam licèt vera eſſent omnia, & Tertulliani præſcriptionibus conſona, quæ Declamator ex Victore primo, Ioanne quinto, Gregorio ſecundo, Paulo primo, Paſchali primo, Gregorio ſeptimo voce tenus laudat, illorum tamen ne vnum quidem verbum huic epochæ aduerſaretur, niſi forſan vellet citiùs Gallos, quàm Italos, citiùs Viennenſes, quàm Romanos, aut ſaltem æquè citò Chriſti religionem ſuſcepiſſe. Hoc autem ſi perſuaſum habet, nunc toto Philippicæ, & Verrinæ eloquentiæ campo decurrat in Innocentium primum, qui ad Decentium ſcribit, *manifeſtum eſſe, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint ſacerdotes.*

Quod autem pertinet ad ſecundam epocham, tantiſper expendamus, quid illi contrarium adferat Declamator. In hac epocha & rhodum, & ſaltum eſſe quis non videt? Declamator pagina XVIII. duos Viennenſes Epiſcopos obiicit, ante Aurelium Imperatorem paſſos: *Verus*, inquit,

quit, *imperio Nerua, & Zacharias aliquot antè annis fidem ſanguine ſanciuêre.* Sed quo tandem idoneo teſte probat? Nullo prorſus. Αὐτὸς ἔφα. Itane verò primorum Galliæ martyrum fidem de temporibus aſſerit? Itane, Deus immortalis, conſtat egregia illa, & Iberæ plena oſtentationis promiſſio? *Non profluentem,* (inquit pagina IV.) *dicendi vim, & oris rotunditatem affero, ſed fidem rerum, & ſub teſtibus conſignatam veritatem.* Age igitur: Seuerus, qui omnia martyrum acta legerat, Verum illum ſub Nerua paſſum non nouit, quem nullus Seuero vetuſtior, æqualis, vel ſuppar etiam de appellatione nouit, quem nec vetus Romanum Martyrologium, quod Ado tranſſcripſit, nec illud, quod ad vſum Eccleſiæ Romanæ Patauij à Bellino primùm editum eſt, circa annum MD. deinde Venetiis recuſum ann. MDXLIX. inter Martyres, vel Confeſſores recenſuit, quem nec Vſuardus per antiqua ſapiens Martyrologia, nec Ado Viennenſis ipſe in Martyrologio nouit, etiamſi præ ceteris illum nouiſſe debuerit, & in faſtos Eccleſiæ retuliſſe. Verumenimuero demus & purum putum eſſe Bedæ Martyrologium, quod habemus, & ab eodem Verum in eo poſitum, & accuratum præterea eſſe Adonis Chronicum, vbi Verus iſte Viennenſis Epiſcopus legitur, iſtud quæſo ad Declamatoris negotium quid refert? Vtrobique enim, & apud Baronij Martyrologium, Verus Confeſſor eſt, non Martyr. Vter ergo peccauit, Seuerus, an Declamator, qui Vero martyrium dimiſſo pudore affinxit?

De Zacharia autem, quid ipſe ſit, & quo ge-

Digitized by Google

nere mortis obierit, nemo ante Adonem meminit, nec etiam Ado meminit eo maximè in loco, vbi meminiſſe debuit, hoc eſt in Martyrologio. Quare vehemens coniectura eſt, vel Zachariæ martyrium ab aliis inſertum eſſe Adonis Chronico, vel Adonem in Martyrologio tacitum Zachariæ martyrium præteriiſſe, quod ille Chronico inſeruerat, rerum Zachariæ minùs peritus. Et ſanè ſiquis Adonis Chronicum paulò diligentiùs inſpiciat, nobis facilè concedet, appoſitè digeſta non eſſe, quæ de Viennenſibus Epiſcopis ſcribit. Atque vt de aliis nunc taceam, Concilium Arelatenſe primum ad annum DCXXXV. edit. Pariſ. ann. MDXII. vel ad ann. CCCXII. edit. Colon. ann. MDCXVIII. collocat, & in eo Claudium Viennenſem Epiſcopum, cùm tamen ex ſubſcriptionibus non Claudius, ſed Verus Concilio interfuerit. Quare fortaſſis Ado, vel Adonis interpolator Verum illum ad Neruæ tempus reduxit, Claudio in eius locum ſubſtituto. Deinde etiam non multùm improbabiliter diceretur, ab iiſdem presbyterum Zachariam, qui Lugduni ſub Aurelio paſſus eſt, ad Viennenſem Eccleſiam tranſlatum fuiſſe. Sed & de hac re, & de integritate Chronici, ſine fide veterum exemplarium pronuntiare nolumus. Id autem Ado ſcripſerit, quod in illius Chronico de Zacharia legimus, quid tum? negamus auctorem, qui ad annum DCCCLX. ſcripſit, legitimum eſſe teſtem aduersùs Seuerum, qui circa annum CCCCXX. ex maiorum monimentis, & incorruptis Martyrum actis hiſtoriam compoſuit. Etenim cùm recens adhuc eſſet ſuſceptæ

in Gallia religionis memoria, nec vlli per tempus licuiſſet acta Martyrum interpolare, potuit ſine dubio Seuerus, quàm Ado certiorem de Martyribus hiſtoriam ſcribere.

Romanum Galeſinij, vel Baronij Martyrologium ex Adonis Chronico Zachariam Martyrem fecit, non ex Romanæ Eccleſiæ traditione, cùm ne Zachariæ quidem nomen legatur in veteri Romano Martyrologio, quod exſcriptum eſt ab Adone, cùm Aquileiæ verſaretur, vel in illo Martyrologio, quod ad vſum Romanæ Eccleſiæ primùm Patauij circa annum MD. deinde Venetiis MDXLIX. typis mandatum eſt. At primum Galliarum Martyrem, vt volunt, tandiu Gallicanæ Eccleſiæ, tandiu Romanæ incognitum fuiſſe, quis in animum facilè induceret ſuum?

Declamator alios Martyres quatuor ſic profert in lucem pagina XXIV. *Inter eos, qui Nerone perſequente ſupplicio affecti ſunt, Fronto Petragoriorum, Sabinus, & Potentianus Senonum, Eucherius Treuirorum pontifices celebrantur.* Rurſus ita fidem rerum oſtentat, & ſub teſtibus conſignatam veritatem, *celebrantur.* Non de Sauiniani, & Potentiani martyrio, ſed de tempore martyrij diſputamus. Hos quidem Ado in Martyrologio ab Apoſtolis, Vſuardus verò Adone vetuſtior, & Senonibus vicinior, non ab Apoſtolis, ſed à Pontifice Romano miſſos ſcribit. Vſuardum ſequuntur multarum Eccleſiarum Martyrologia, in quibus & Pariſienſe, & hodiernum Romanum. Quid ergo ſibi applaudit confidentiſſimus Declamator? fortè Romanum illum Pontificem eſſe contendit, qui ſub Nero-

Digitized by Google

ne vixit: At illud efficiat per eos ſcriptores,qui Seuero rem meliùs nouerint, quippe per antiquiores, æquales, vel ſuppares. His enim & ſolis legibus, quæ & ſui & noſtri Tertulliani ſunt, niſi cadat Seuerus, in æternum ſtabit. Sauiniani & Potentiani hiſtoriam, quæ apud Mombritium & alios legitur, ſi proponat, det legitimum, & certum tempus, quo ſcripta eſt, & expendat, quæ vir illuſtris Papirius Maſſonus cenſuit de vitis Sanctorum, in Hiſtoria calamitatum Galliæ, & illum poſtea declamitantem audiemus. Interim verò diſcat, Bellarminum, cui nonnihil opinor in iudicio librorum tribuendum eſt, ex noſtra Seueri auctoritate alteram Martialis Lemouicenſis epiſtolam confixiſſe. *In eadem*, inquit, *epiſtola cap.* VIII. *dicit Valeriam quandam in ipſa Gallia martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio libro* II. *Sacra Hiſtoria, & Gregorio Turonico libro* I. *capite* XXVIII. *Hiſtoriæ Francorum, qui ſcribunt temporibus M. Antonini primùm intra Gallias martyria viſa.* Declamator igitur videat, quantum vir grauis Seuero, & Gregorio tribuat, qui è Gallis primi, primos Galliæ Martyres, ſuis temporibus aſſignatos, poſteritati commendarunt. Et reuera præter Samblacatum, & ſimiles Antiquarios, Seuero & Gregorio nullus anteferret hominem, qui, dum Sauiniani & Potentiani vitam exequitur apud Mombritium, hos è numero ſeptuaginta duorum à Sancto Petro miſſos, & Sauinianum Primatem Galliæ conſtitutum aſſeuerat.

De Euchario Treuirenſi, de Frontone Petragoricenſi, vt nunc illorum miſſionis epocham

Digitized by Google

omittamus, quid ſibi vult Declamator? Hos veterum nemo, hos recentiorum nemo, quod ſciam, quamlibet fabuloſus Martyres appellat: Confeſſorum numero Martyrologia adſcribunt vniuerſa. Tuam hîc fidem, & frontem Samblacate?

Animadversio V.

Declamator malè reſpondendo ſeipſum ſuperat, dum ad Gregorium Turonenſem accedit pagina xxiv. xxv. xxvi. xxvii. xxviii. xxix. xxx. Et primò quidem nugatur, ſeptem antiſtites, quos ex *fideli maiorum recordatione* ſub Decio miſſos tradit hiſtoria Sancti Saturnini Martyris, & confirmat Gregorius, omnes ætate Apoſtolorum vixiſſe. Quod ſi ſemel admittatur, qua quæſo in re fidem vnquam merebitur hiſtoria Sancti Saturnini, quæ ab homine vel Toloſæ vel Toloſatibus vicino confecta eſt? Qua etiam in re fidem merebitur Gregorius, qui primi Eccleſiæ ſuæ antiſtitis ætatem turpiter neſciit, qui libro x. Hiſtoriæ cap. xxxi. falſum, & ſupinæ ignorationis plenum tempus aſſignat Gatiano? Vel ex hoc vnico commate cenſeatur, quantum ſit in Declamatore iudicium, & quanta ingenij perſpicacitas?

Secundò: vt Septemuiros Apoſtolis æquales fuiſſe probet, omnium auctorum vice ad famam recurrit: *quos*, inquit, *vixiſſe Apoſtolorum ætate conſtans eſt fama.* Sic fidem de temporibus aſſerit Declamator. Tu mihi non credis, amice lector, nec moleſtè fero: quis enim crederet ſine

Digitized by Google

teſtibus oculis? In hac igitur ratione animaduertimus duo.

Vnum eſt, quòd Declamator indice contentus non perlegerit Tertulliani Apologeticum, quem laudat, & vt Palladij ducem conſtituit, aut certè perlegendo non intellexerit, quæ ſit famæ, id eſt, rationis ſuæ vis, & robur apud Tertullianum in eiuſdem Apologetici cap. VII. *Natura famæ omnibus nota eſt, veſtrum eſt: Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Cur malum fama? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri adfert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quod ea illi conditio eſt, vt non, niſi cùm mentitur, perſeueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat, ſiquidem vbi probauit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nuntiandi functa, rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur.* & poſt alia: *Fama, nomen incerti, locum non habet, vbi certum eſt. An verò famæ credat, niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto.* Poſt alia: *Hanc indicem aduerſus* Gregorium *profert, quæ, quod aliquando iactauit, tantóque ſpatio in opinionem corroborauit, vſque adhuc probare non valuit.*

Alterum, quòd Declamator ipſi etiam famæ imponat. At fieri non poteſt, inquis, vt imponat. Tergiuerſaris. Lector, ſuſtine tantiſper. Ex illis ſeptem Epiſcopis tres Baronius, & Romanum eius Martyrologium excipiunt, Auſtremonium, Saturninum, Gatianum, quos ſub Decio legatos tradunt, quæſitâ etiam ex Gregorio probatione. Bellarminus Dionyſium Pariſienſem &

Digitized by Google

Saturninum excipit, quà, vt vidimus, ex Seuerò & Gregorio, temporibus M. Antonini primùm intra Gallias martyria viſa cenſuit: Martialem quoque Lemouicenſem excipit, quà ex auctoritate Gregorij, Martialis epiſtolas repudiat. Nicolaus Faber, vir incomparabilis ex Gregorio Dionyſium Pariſienſem Decio conſignat in Schediaſmate, quod de vtriuſque Dionyſij diſcrimine conſcripſit. Dionyſius Petauius Rationarij temporum partis primæ lib. v. cap. XIII. ex auctoritate Gregorij Saturninum nominatim, Gatianum, Dionyſium ſub eodem Imperatore deſcribit. Hæc autem cùm ita ſint, de conſtanti Declamatoris fama quid fiet? Seligat iſte nobis ex toto orbe Chriſtiano, quos cum his Quadrumuiris iactatam famæ ſuæ conſtantiam ſubruentibus componat? Iſti ergo ſoli, & confabulatoribus conſtans fama eſt, hos ſeptem Epiſcopos ætate Apoſtolorum vixiſſe. Quòd ſi fama nunquam ſine mendacio ſit, & Declamator ipſi famæ de ſuo, quæ non ſunt, vel de triuiis compotabilibus adiiciat, cogitate quæſo vos, quàm tutò in ædibus Samblacati Toloſæ hoſpitetur veritas?

Tertiò: defectum luminis proprij ſic patefacit: *Equidem diſpicere non poſſum qua ratione fieri potuerit, vt ſeptemuiri, quorum princeps Dionyſius, legationem pro fide Catholica in Galliis obierint Decio imperante.* Et primò quidem de rebus quæ ad quæſtionem facti pertinent, idipſum poſſet dicere, & ſic in dubium vocare quidquid liberet. Deinde nemo vnquam aſſeruit, Dionyſium Septemuirorum principem fuiſſe. Hiſtoria S. Sa-

turnini Dionyſium quinto loco ponit : ſic enim apud Gregorium Turonenſem : *Hi ergo miſſi ſunt Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſc. Aruernis Stremonius Epiſc. Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſc.* In ſumma Declamator inueniat auctorem vetuſtiorem, æqualem vel ſupparem ei, qui hiſtoriam Saturnini edidit, efficiátque tunc vt ille Dionyſium Areopagitam veniſſe in Gallias tradiderit, nos Galliæ Palladio libenti prolixóque animo ſubſcribemus.

Quartò : Declamator, vbi Dionyſium Septemuirorum principem appellat, continuò prodit ſe, aut non legiſſe, aut oſcitanter legiſſe Gregorij locum, quem interpretatur. Atque ita in auctoribus, quos citat, ſibimet detrahit, indignúmque reddit, cui credatur.

Quintò: infelicem Criticum agit affirmans, deprauatam eſſe Conſulum notam, non vitio quidem Gregorij, ſed Librariorum : *Quum ſciam*, ait, *in veteribus Gallorum monimentis nullam penè eſſe temporis rationem, quam exſcriptorum audacia, aut incuria non corruperit.* Ecce tibi factus nouo more Criticus, qui ſuis vt ſeruiat ſtudiis, omnem omnibus veterum Gallorum annalibus & hiſtoriis, immò & aſſerendæ de temporibus inuectiuæ, auctoritatem cautiſſimus homo detrahit, qui vt nihil in Chronicis, & antiquorum monimentis corrigatur, omnia corrupta eſſe docet, qui tandem ſine veterum exemplarium fide, vel optimâ coniecturâ Conſulares priſcorum auctorum notas reprehendit, & falſitatis arguit.

Digitized by Google

Porro ſciſcitamur à Declamatore, quando Conſularis nota, quæ Saturnini Martyris hiſtoriam obſignabat, corrupta ſit? An ante Gregorium, vel poſt? ſi primum videatur, quem vnâ Gregorium culpâ liberare voluit, duplicis reum perageremus, tum quia mendum illud inſigne non aduertit, quod Declamator mille & quinquaginta pòſt annis caſtigat, tum quia in hiſtoria tacitus id correxit, quod in fide duorum Samblacati auctorum, *celebrantur* quippe & *Famæ*, de Saturnino ſcripſerat in lib. I. de Gloria Martyrum cap. XLVIII. *Saturninus*, inquit, *Martyr, vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in vrbem Toloſatium eſt directus.* Itaque ſecundæ cogitationes, quæ meliores in aliis eſſe conſuêrunt, in Gregorio deteriores fuiſſent. Si ſecundum admittatur, nullâ Declamatoris panegyri, ſed omni illius amarulentiâ excipiendus eſt Hilduinus, tum quia corruptam ante paucos annos Conſulum notam ex aliquo veteri codice non deprehendit, tum quia falſarij culpam in Gregorium magna verborum indignitate tranſtulit.

Animadversio VI.

QVÆ ad eleuandam Seueri auctoritatem producebat Declamator Animaduerſione quarta, nulla non veritate niti diſputationis gratiâ ſuppoſuimus: Nunc in productis aduerſùs Seuerum teſtibus fidem excutimus. *Ioannes quintus*, inquit, *Victorem ſecutus Viennam per diſcipulum Pauli primum religionis honorem ſuſcepiſſe affirmat. Gregorius ſecundus eandem Eccleſiam*

ſcribit auctoritatem à Petro meruiſſe, cui conſentit Zacharius primus. Sed omnibus manifeſtiùs Paulus primus in epiſtola ad Carolum Magnum, refert Creſcentem diſcipulum Apoſtolorum, magiſtrum fuiſſe Viennenſium, & eorum ſacris præſediſſe. Poſtremò Paſchalis primus, & Gregorius ſeptimus Viennenſem Eccleſiam, ab Apoſtolis fundatam non obſcurè memorant.

I. Samblacatus imponit ſcribens, *Ioannes quintus Victorem ſecutus Viennam per diſcipulum Pauli primum religionis honorem ſuſcepiſſe affirmat.* In Antiquitatibus Viennenſis Eccleſiæ Victor Pontifex ſcribit epiſtolas duas, vnam ad Deſiderium, alteram ad Paracodam Epiſcopum. Sed in neutra dicit Viennam per diſcipulum Pauli primum religionis honorem ſuſcepiſſe. Deinde prior epiſtola ſuppoſita eſt. Vnus in Adonis in Chronico, & in Catalogo Archiepiſcoporum Viennenſium ponitur Deſiderius, qui Gregorio Magno Pontifice claruit, nec proinde æqualis eſſe potuit Victori, qui anno Chriſti CCIII. martyrium fecit. Præterea Scriptura vulgatæ editionis ſemel atque iterum laudatur. Tum poſterior epiſtola ſuam ipſius falſitatem ſic prodit: *Vides frater Orientalem Eccleſiam propter celebrationem Paſcha ab Occidentali diſtinctam eſſe.* Paracodas videre dicitur, quod videri non potuit, vt ex Irenæo & Euſebio conſtat. Suppoſtor minùs perſpectam habuit controuerſiam, quæ tunc inter Aſianas Eccleſias, & Romanam interceſſit. Adhæc phraſis ab ætate Victoris prorſus aliena eſt.

II. In iiſdem Antiquitatibus refertur Ioannis

V. epiſtola ad Edaldum Epiſcopum, vbi legitur id quod Samblacatus allegat. Sed ſpuria eſt epiſtola, tum quia nullus Edaldus reperitur in Adonis Chronico, vel in Catalogo Viennenſium Archiepiſcoporum, tum quia Ioannes V. obiit ad annum DCLXXXVI. ac proinde ſcribere non potuit ad Edaldum, ſi idem ſit cum Eoldo, quem Ado ſub annum DCCXVIII. factum fuiſſe Viennenſem Epiſcopum tradit.

III. In iiſdem Antiquitatibus Gregorius II. Auſtreberto Viennenſi Archiepiſcopo ita ſcribit; *Auctoritatem Eccleſiæ veſtra, quam venerabiliter vſa, à beato Petro promeruit, quámque vſque nunc prædeceſſoribus meis firmantibus retinet.* Cùm à beato Petro dicit, idem eſt ac ſi diceret, ab Eccleſia Romana, vel à Sede Apoſtolica. Gregorius, ſi tamen ille, de Viennenſis Eccleſiæ origine non tractat, ſed de quibuſdam priuilegiis, quæ Sedes Apoſtolica illi conceſſerat; vt verba per ſeipſa declarant.

IV. Samblacatus imponit Zachariæ, qui ne quidem dicit id, quod habet Gregorius II. ſed id dicit, quod ſuperiorem interpretationem meam confirmat. Zachariæ verba ſunt: *Dalmatiam vſibus veſtris miſimus* (Auſtreberto ſcribit) *vt quia Eccleſia veſtra ab hac ſede doctrinam fidei percepit, & morem habitus ſacerdotalis, ab illa etiam percipiat decorem honoris.*

V. In iiſdem Antiquitatibus ſuppoſita eſt Pauli Papæ primi ad Carolum Regem epiſtola. Paulus, qui anno DCCLXVI. migrauit, ſcribere non potuit ad Carolum Regem, qui anno tantùm DCCLXIX. Pipino patri ſucceſſit & regnare

cœpit. Qui epiſtolam hanc Paulo Papæ tam manifeſtè ſubiecit, potuit & alias epiſtolas Pontificibus aliis ſubiicere, in quibus de fundata per Creſcentem vel Apoſtolos Vienneſi Eccleſia ſermo inſtituitur. Quapropter falſitatis indicium eſt, ſi epiſtolæ hæ nuſquam reperiantur, præterquam in Viennenſis Eccleſiæ antiquitatibus.

VI. In iiſdem Antiquitatibus ſuppoſita eſt, vel certè interpolata Paſchalis I. epiſtola, vbi legitur: ***Pallium igitur tibi Viennenſique tuæ Eccleſiæ, vtpote ab iiſdem Apoſtolis fundatæ maiorum more libenter indulſimus.*** ***Ab iiſdem***, dicit, ***Apoſtolis***, quorum mentionem antea nullam fecerat, vnius Petri mentionem iniecerat. Deinde verba hæc, ***fundata ab Apoſtolis Viennenſis Eccleſia***, præ ſe ferunt ſenſum illum, quem habent verba hæc Irenæi de Petro & Paulo loquentis: *à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata & conſtituta Eccleſia.* Vtrum autem par vtrobique ſenſus ſit, Declamator videat. Par eſſe debet, ſi ſpectetur locutio, diſpar, ſi rei veritas quam indagamus. Apud Irenæum vera locutio, apud Paſchalem falſa, cùm nuſquam Petrus in Galliam venerit, aut Viennam acceſſerit. Tum epiſtolæ Pauli verba hæc, ***Viennenſis Eccleſia Apoſtolorum collegam Creſcentem magiſtrum habere meruit.*** & epiſtolæ Paſchalis verba hæc, ***Viennenſis Eccleſia ab Apoſtolis fundata***, pugnant inter ſe, & ſibi mutuò veritatem eripiunt, quomodo eriperent, ſi ad Romanam Eccleſiam transferrentur.

VII. In iiſdem Antiquitatibus recenſentur Gregorij VII. epiſtolæ tres, quarum vna, quam

Digitized by Google

ad Romanenſes clericos ſcribit, in libri I V. regeſto epiſtolarum Gregorij extat, aliæ duæ, altera ad clerum & populum Viennenſis Eccleſiæ, altera verò ad Vvarmandum Viennenſem Archiepiſcopum, non extant; quod falſitatis indicium eſt. In ea, quæ eſt ad Vvarmandum, *Viennenſis Eccleſia* dicitur *à beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo fundata.* Sed hic loquendi modus iam ſuppoſitionis vel interpolationis damnatus eſt. Deinde hæc epiſtola legitur data *anno Domin. Incarn.* CIↃLXXVII. *indict.* XV. *anno pontificatus Domini Gregorij VII. Papa* VIII. Gregorius factus eſt Pontifex anno Chriſti MLXXIII. indict. XI. quare nec annus Chriſti MLXXVII. nec indictio XV. reſpondet anno pontificatus Gregorij octauo. quod aliud eſt falſitatis indicium. Tum niſi hæc epiſtola ſit ſuppoſita vel interpolata, vehementer ſubreptum eſt Gregorio, dum hæc ſcribit: *Priuilegia igitur & prædia vel bona, quæ à beato Silueſtro, Leone & Nicolao, & ab eorum ſucceſſoribus, à Romanorum Imperatoribus, ſeu Francorum vel Burgundiæ Regibus Eccleſiæ tuæ ſunt data vel reddita confirmamus.* Et primò quidem vel nihil vnquam ſuppoſitum, vel ſuppoſita eſt Silueſtri I. epiſtola, quæ in Antiquitatibus Viennenſibus ſic incipit: *Silueſter Papa vniuerſis Epiſcopis per Gallias & per ſeptem prouincias.* quomodo tunc Galliæ non diuidebantur. Tum quæ narrantur in hac epiſt. tam non ſunt ætatis Silueſtri I. quàm non ſunt ætatis Abrahami Patriarchæ.

Poſtremò in epiſtola II. Nicolai I. quæ eſt in libello Antiquitatum Viennenſium, ad Adonem Viennenſem Archiepiſcopum, ſcribitur:

Digitized by Google

Sicut ergo ab anteceſſoribus noſtris, beato ſcilicet Leone, vel à reliquis penè ad noſtra tempora tuis anteceſſoribus praſtitum eſt largitione Apoſtolica, vt ad priuilegium Viennenſis Eccleſia ſeptem prouincia pertinerent. quid quæſo te Leonis conſtitutionibus fingi poteſt magis contrarium? quid veteri Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ repugnantius?

Ceterum quid Samblacato Declamatore noſtro fiet, qui Pontifices illos ſeptem adduxit. Hoc amentato telo in Sirmondum ſic inuadit: *Nunc ad teſtes nos vocet aduerſarius, pluresne aut locupletiores producit? Certè ſi eorum numerus, aut dignitas aliquid ad fidem in iudiciis valet, quis adeò iniquus in cauſſa ſedeat, qui non ſecundùm nos datum velit? Tot pro nobis ſtant Summi Pontifices, qui non communi errore decepti, ſed ex vero ſtatuerunt, hoc Ioannis quinti iudicium, ſic Gregorius ſecundus cenſuit, ſic Paulus cum aliis decreuit.* Suam vt nunc fidem ex veris liberet Declamator, exſpectamus. *Qui tantorum teſtimoniorum fidem eleuare poteſt, quibus infirmatur auctoritas Seueri, conficitúrque Galliam ante M. Aurelium habuiſſe martyres, fidémque temporibus Apoſtolorum ad nos fuiſſe propagatam.* Hoc epicithariſma poſt fabulam.

ANIMADVERSIO VII.

HIc nugis omiſſis rem experiamur, & quædam nunc Declamatoris in ratiocinando ſpecimina conſideremus.

Primùm ſpecimen erit ex pagina XXV. *Trophimus ſedem Arelatenſem inſtituit multis antè annis, quàm Decius rerum potiretur. Hoc praſtruen-*

Digitized by Google

dum eſt, vt appareat eum, qui de Trophimo perperam retulerit, de Dionyſio falſa retuliſſe. Nos ad hanc regulam ſic diſſerimus: Fronto Petragoriorum, & Eucharius Treuirorum Epiſcopi non ſunt Martyres, ſed Confeſſores, vt vidimus: Hoc ergo præſtruendum eſt, vt appareat eum, qui de Frontone, & Euchario perperam retulerit, de Sauiniano, & Potentiano Senonenſibus, quòd Martyres ſint, falſa retuliſſe. Huius dialecticæ monetæ malleator eſt Samblacatus, eam ſi placet, recipiat, niſi vt adulterinam reiici velit.

Secundum ſpecimen ex pagina XXIX. *Scio*, inquit, *in veteribus Gallorum monimentis, nullam pene eſſe temporis rationem, quam exſcriptorum audacia, aut iniuria non corruperit.* Hoc præſtruendum eſt, vt appareat ab eo, qui Dionyſij Pariſienſis fidem de temporibus aſſertam pollicitus eſt, eundem Dionyſium in certiſſima temporis epocha collocatum iri. Hæc conſecutio à nobis quidem, ſed ex verbis & ſenſu auctoris deducta eſt. Neque Samblacatus opinor meam in hoc manum remouere de tabula iubebit.

Tertium ſpecimen ex pagina XXXIV. *Certum eſt Romanam Eccleſiam non agnoſcere Dionyſium diuerſum ab eo,* (Areopagita) *qui Galliam ſanguine conſecrauit: atque ita obſcuritates, quas aduerſa teſtimonia afferebant, luce Apoſtolicæ auctoritatis diſſoluuntur.* Nos ſimiliter diſputamus. Certum eſt Romanam Eccleſiam, Auſtremonium, Saturninum, Gatianum ad tempora Decij collocare: atque ita luce Apoſtolicæ auctoritatis diſſoluuntur obſcuritates, quæ pagina XXIV. offuſæ ſunt ex *Fama*, ſcriptore Declamatoris extrà quàm

fideli, & erudito. Mea vt vides, Lector, non eſt iſta ratiocinatio: abſit enim, abſit, vt quod vnius, aut alterius de Eccleſia Romana hominis eſt, Romanæ Eccleſiæ velim vnquam adſcribi.

De Eccleſia Romana res ſic ſe habet: in Breuiario Romano vſque ad Paulum III. vnica erat de Dionyſio Pariſienſi Lectio, quæ ſic cum Vſuardi & Adonis Martyrologio conuenit, vt difficilè iudices, vtrum Vſuardus & Ado hanc Lectionem ab Eccleſia Romana habuerint, an ab Vſuardo, & Adone Eccleſia Romana repetierit. Sub Paulo hanc Lectionem ſuſtulit Quignonius, & aliam Breuiario appoſuit ex Areopagiticis Hilduini petitam. In Miſſali vſque ad Pium V. Lectio de Communi Martyrum ſumebatur, ſed hoc Pontifice, iam tum primùm ex Actis Apoſtolorum ſumi cœpit. In Martyrologio duo diuerſi Dionyſij legebantur vſque ad Gregorium XIII. ſub quo Galeſinius ex duobus vnum conflauit. Videat per otium Declamator Martyrologium, quod ad vſum Eccleſiæ Romanæ Pariſiis editum eſt anno MDLXXIII. Iſta quoque ſi placet legat: Calendis Octobris: *Tornaci Sancti Piatonis preſbyteri, & martyris, qui cum Beato Dionyſio, ſuiſque ſociis, ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natale Sancti Dionyſij Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Lutetiæ Pariſiorum natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi:*

diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus, præfatam vrbem deuenit, & reliqua, quæ aut Eccleſia Romana ab Vſuardo, aut Vſuardus ab Eccleſia Romana deſumpſit. Vtvt ſit, in vtroque eam Martyrologiorum conteſſerationem inuenimus, qua vt cuneo veritatis nouitas Samblacati extundatur.

Quartum ſpecimen ex pagina XLIII. & XLIV. *Quicunque Dionyſium abſolutè nominarunt, Areopagitam intelligi voluerunt*, ô cedro dignam obſeruationem! Illud tamen præſtituendum eſt, vt appareat eos omnes, qui quandocunque & quomodocunque Dionyſij mentionem abſolutè fecerunt, Pariſienſem Epiſcopum intellexiſſe, eúmque Areopagitam. De his quatuor ſpeciminibus reliquum opus Declamationis æſtimetur.

Ceterum communis eorum, qui veritati per ſtudia reſiſtunt, lues mentem occupat Samblacati. Non enim attendit, quid & qua ratione probet, ſed quî, quod alij dicunt multiplicibus tricis conuoluat: non cogitat, quid à ſe, ſectatoribúſque ſuis probari poſſit, ſed quid aduerſariis reſpondeat tergiuerſando. Scilicet à Tertulliano, & Phæbadio Aginnenſi didicit, *mendacium ædificari non poſſe ſine demolitione veritatis.*

ANIMADVERSIO VIII.

PAGINA XXXI. & XXXII. Areopagiticorum cauſam non infeliciter prodit, Martyrologia, quæ opponuntur, explicaturus: Ipſum audi Lector. *Non eſt noua controuerſia de Dionyſio: eius cauſam diſcordes Galli Pontifices agitauêre,*

Quum verò ſtatuendi ius ſummum nemo poteſtatem haberet, inter ſe nihil concedebant. Atque ſententia, quæ à communi ſermone tollenda erat, in faſtos ac ritus Eccleſiæ tranſibat. Hinc effectum, vt in quibuſdam Martyrologiis tertius, & nonus dies Dionyſio dicatus inueniatur. Satin' audiſti? quid ergo tibi videtur? Potuiſſet-ne conſilium ſuum feliciùs exequi, cauſam, quam tuetur, ſi ex condicto prodere voluiſſet? Sed hominis mentem ſubeamus, & quò pertineat hæc inſignis ἀλαοσκοπία, inſpiciamus. Qui Hilduino & commilitonibus aduerſabantur, & Dionyſium Pariſienſem ab Athenienſi diuerſum contendebant, ſuæ lite pendenti opinionis inſtrumenta poſteris tranſmiſerunt, & in faſtos ac ritus Eccleſiæ retulerunt. Hoc cùm ita profiteatur, & nobis concedat vir bonus, reliquum eſt modò, vt quos habuerit Hilduinus aduerſarios, per varias Galliarum Eccleſias diſquiramus.

1. Hilduinus igitur aduerſarium habuit monaſterium, cuius erat Abbas, aduerſarium habuit monaſterium S. Germani Pariſ. aduerſarias habuit Eccleſias, Pariſienſem, Turonenſem, & Sueſſionenſem, in quarum Martyrologiis hæc de vtroque Dionyſio ſcribuntur: Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco paſſio Sancti Piatonis preſbyteri, qui cum beato Dionyſio eiúſque ſociis, ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* Quinto Nonas Octobris: *Natalis beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athe-*

Digitized by Google

rienſis, vir fide, ſapientiáque mirabilis in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratia directus, præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino, vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Ecce tibi duo Dionyſij non vna inter ſe ratione diſtincti. Qui patitur quinto Nonas, paſſionis teſtem habet Ariſtidem: Qui patitur ſeptimo Idus, teſtem non habet Ariſtidem. Qui patitur quinto Nonas, nullos habet paſſionis ſocios: Qui patitur ſeptimo Idus, duos habet paſſionis ſocios, Ruſticum & Eleutherium. Qui patitur quinto Nonas, diuerſis tormentorum generibus, nec tamen exploratis affectus occumbit: Qui patitur ſeptimo Idus, explorato ſupplicio, capitis ſcilicet amputatione martyrium facit. Qui patitur quinto Nonas, idem ſeptimo Idus pati non poteſt. Qui patitur denique ſeptimo Idus, Calendis dicitur Sancti Piatonis comes. Atqui cùm S. Piato ſub Diocletiano paſſus ſit, Dionyſius Piatonis comes Areopagita eſſe non potuit.

Poſt Hilduini tempora monaſterium Sancti Martini de Campis, & Sancti Victoris, atque Eccleſia ſancti Sepulcri Pariſienſis contra Hilduinum, & eius Reliquias in Eccleſiæ Pariſienſis partes tranſierunt, & idem planè, quod iam retulimus, iiſdémque verbis conceptum, in ſuis Martyrologiis perpetuò retinuerunt.

Aduerſarias habuit Eccleſias Narbonenſem, Ambianenſem, Venetenſem, & Carnotenſem, in quarum Calendariis duo diuerſi dies, & diuerſa Officia ſic conſignantur. Quinto Nonas Octobris: *Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi & Martyris* III. *lect.* Septimo Idus Octobris: *Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Martyrum* IX. *lect.* Quæ omnia hoc loco copioſiùs perſequi neceſſe non eſt. Sufficit, ſi aduerſariorum Hilduini numerum de nouo augeamus.

Aduerſariam habuit Eccleſiam Rhemenſem, in cuius antiquiſſimo Martyrologio hæc leguntur: Quinto Nonas Octobris: *Natalis B. Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo apud Athenas Epiſcopus ordinatus*, IBIDEM *glorioſo martyrio eſt coronatus*. Septimo Idus Octobris: *Pariſius beatiſſimorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi.* Videat Declamator, an hæc Eccleſia manifeſtiùs Hilduino potuerit refragari, quàm ſi Areopagitam paſſum Athenis prædicaret? Vt antea S. Dionyſij monaſterium Hilduino aduerſum vidimus, ita & nunc Rhemenſem Eccleſiam Hincmaro ſuo reclamantem videmus. Et verò ſiue tunc id in ſuo Martyrologio ſenſit, quod nunc in eodem ſentit, ſiue poſt Hincmarum, reiectâ illius opinione ſentire cœpit, in vtroque Areopagitici ferunt incommodum, quia fauetur veritati.

Aduerſariam habuit Eccleſiam Aruernorum, in cuius Martyrologio hæc leguntur: Quinto Nonas Octobris: *Natalis B. Dionyſij Areopagitæ, qui, vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem beati Pauli Apoſtoli apud Athenas*

ad fidem Chriſti conuerſus, primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius natalis Sanctorum Martyrum, Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi.* Agnoſce, Lector, diſcrimen, & quibus illud antea notis planum fecimus, vtere.

Aduerſariam habuit Eccleſiam Autiſiodorenſem, in cuius tribus Martyrologiis, quorum duo ſunt Autiſiodori, tertium Lutetiæ in Bibliotheca Thuana, hæc leguntur: Quinto Nonas Octobris: *Natalis Dionyſij Areopagitæ Athenienſium Epiſcopi & Martyris.* Septimo Idus Octobris: *Pariſius natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi; qui beatus Epiſcopus propter prædicationis officium à Sancto Clemente in Gallias directus, ibíque eſt martyrizatus.* Ex his, quæ iam diximus, ſatis apparet nomen Clementis ab exſcriptore quodam fuiſſe additum, contra veterum traditionem.

Ceterum qui è ſchola Hilduiniana politi ſunt, cupidiſſimè rapiunt hæc verba, *Dionyſium Pariſienſem à Clemente miſſum,* quaſi Areopagiticæ cauſæ plurimum fauerent. Quippe ſibi concedi volunt, & Dionyſium à Clemente miſſum, & Clementis tempore vnicum fuiſſe tantùm inter Chriſtianos Dionyſium Areopagitam, qui in Gallias Lutetiam legaretur. Quod figmenti genus niſi gratìs & liberaliter concedatur, recentiores Areopagitici ab Hilduino tantùm ſuam opinionem probare incipient, & deriuatam per annos octingentos vtriuſque Dionyſij traditionem opponere ſibi cogentur. In primo nouitatis amor

deprehenditur, in altero faſtidium antiquitatis; & ſic repellitur, quod amari debet, quia veritatis, & amatur, quod repelli debet, quia falſitatis ſignum eſt.

Aduerſariam habuit Eccleſiam Ambianenſem, in cuius Martyrologio hæc leguntur: Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionysij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano principe poſt clariſſimam confeſſionem Chriſti fidei, & grauiſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatur.* Septimo Idus Octobris: *Natale Sanctorum Martyrum Dionysij Epiſcopi, Eleutherij preſbyteri, & Ruſtici diaconi, qui beatus Epiſcopus à Sancto Clemente in Gallias directus*, &c. vt ſuprà.

Aduerſus Hilduini fautores monaſterio illius coniungitur monaſterium S. Ioannis Ambianenſis, in cuius Martyrologio hæc leguntur: Calendis Octobris: *Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natalis Sancti Dionysij Areopagitæ, qui vt liber Actuum Apoſtolorum indicat, ad prædicationem beati Pauli Apoſtoli apud Athenas ad fidem conuerſus, tandem primus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus ab eodem eſt conſtitutus, qui etiam poſt clariſſimam confeſſionem fidei poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Eleutherij*

Digitized by Google

preſbyteri, & Ruſtici diaconi, qui à beato Clemente Papa, &c. vt ſuprà.

Aduerſariam habuit Eccleſiam Auguſtodunenſem, in cuius Martyrologio hæc leguntur: Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natale B. Dionyſij Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui B. Epiſcopus à beato Clemente Papa in Gallias prædicandi gratiâ directus eſt*, &c. vt ſuprà.

Ad Hilduini monaſterium accedit monaſterium B. Mariæ de Marcilliaco Ordinis Ciſtercienſis, in cuius Martyrologio hæc leguntur: Calendis Octobris: *Ciuitate Tornaco Sancti Piatonis preſbyteri, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo*, &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natale B. Dionyſij Epiſcopi & Martyris*, &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Apud Pariſius natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Gallias prædicandi gratiâ directus*, &c. vt ſuprà.

In his omnibus Martyrologiis plana ſunt omnia, niſi quòd in quædam eorum nomen Clementis irrepſerit è Breuiariorum Lectionibus, quæ ex Dionyſij vitâ per Hilduinum vitioſiſſimè ſcriptâ petuntur. Quod vnum ſi diligenter obſerues, omnes Areopagiticos magna ex parte exarmaueris. Inita quoque cum Piatone Dionyſij ſocietas facit, vt nomen Clementis debeat vt

Digitized by Google

inſititium expungi, niſi forſan velint Piatonem ex Areopagiticis Iudicibus vnum fuiſſe, quem Clemens cum Dionyſio Athenienſium Epiſcopo in Gallias ablegarit. Non moror hîc duos Scriptores nuperos, qui, cùm non potuerint verum à falſo ſecernere, contra receptam Maiorum traditionem, contra Hilduinum ipſum, & Sectatores, duos Dionyſios in Eccleſiam Pariſienſem inuexerunt, vnum Areopagitam, qui miſſus ſit à Clemente, alterum, qui ſub Decio Imperatore vixerit. Potuiſſent Hypercritici & tertium ex vita Memmij Catalaunenſis fingere, quem beatus Petrus Lutetiæ deſtinarit.

Ceterum, quæ omnia de vtroque Dionyſio in reliquarum Galliæ Eccleſiarum, & Cœnobiorum Martyrologiis videre eſt, ſi hûc transferrentur, ſcribendi finem nullum faceremus.

Atenim mihi dicet aliquis? Ex regula tui Samblacati nulla fere fuit Eccleſia, nullum fere monaſterium, quod Hilduino non repugnarit; quippe conſignata reperitur vbique duorum Dionyſiorum memoria: Dic ergo nobis, quis tandem à partibus Hilduini ſteterit, ſi tot Eccleſiæ per Gallias diſperſæ tanta conſenſione Hilduini reiecerint nouitatem? Optimè profectò quæris, nec ego ni ſuſpectus ſim, tibi reſpondebo, ſed Hilduinus, cuius ſcripta diuino quodam conſilio poſteris reſeruata ſunt, ad perniciem nouæ opinionis. Audi igitur Hilduinum in Areopagiticis numero VII. *Nec mirari quis poterit,* inquit, *cur hymnum Sancti Eugenij Toletani de B. Dionyſio habeamus, & vicinorum ſapientium ſcriptis, exceptis paucis, videamur carere, cùm &*

hæc, quæ habemus, vt exorata priorum noſtrorum veniâ dicamus, abdita, & negligenter relicta reperiamus.

Hilduinus, cùm non habet vnde nouam opinionem fulciat, negligentiæ Maiores ſuos accuſat, & hac ſe arte tanquam Palladis ægide tectum arbitratur. At quam ille Maiorum negligentiam vocat, nos illorum in retinendis veris traditionibus diligentiam vocamus, ſuſpicimúſque. Enimuerò iſtud niſi tibi ſufficiat, audi adhuc, quæ in epiſtola ad fideles ea de re dicuntur: *Notitia beatiſſimi Dionyſij* (Pariſienſis Areopagitæ) *apud Latinos modica ſeruabantur obtecta.* En vnicum præſidium, quo quælibet nouitas ſuſtentatur. Quotus enim quiſque eſt, qui dum nouæ opinionis arguitur, ad Hilduinianam arcem non ſe recipiat, & opinionem ſuam non eſſe dicat, ſed Maiorum, in quorum ſinu fouebatur. Porrò hoc artificij genus vtrùm in vſu fuerit tempore Hilduini, neſcimus, ſed dudum apud nos exoleuiſſe certò ſcimus.

Bene eſt, inquit ille, ſatis ſuperque capio, quinam fuerint apud Gallos & Latinos Hilduini fautores? quàm facile ſit eas Eccleſias numerare, in quarum Martyrologiis idem tunc fuerit Dionyſius Pariſienſis, atque Areopagita? Sed quâ tandem ratione tuus Declamator ſuam de temporibus antiquis fidem aſſeruit? De Latinis iam dictum, de Græcis, quia te ſolicitum eſſe ſuſpicor, & eorum Samblacatus meminit, in illius, tuíque gratiam nonnihil animaduertendum eſt.

Qui Græci ſcriptores Hilduinum anteceſſerunt, ſi Hilduino credimus in Areopagiticis nu-

mero x. de obitu Areopagitæ non ſunt locuti, & locuti ſunt. Hilduinianæ Scholæ paradoxa damus; Non ſunt quidem locuti, *quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuit incognitus.* Locuti verò ſunt, *quia Græcorum Maiores, & Athenarum incolæ perhibent hiſtoriarum ſcriptis, Dionyſium ſubrogato ſibi Epiſcopo Romam adiiſſe, & apud Gallorum gentem glorioſo martyrio conſummatum fuiſſe.* Sed vt primam contradictionis partem confirmet Hilduinus, Conſtantinopolitanum laudat Martyrologium, in quo, inquit, *diem natalitij eius deſignatum, & quia Epiſcopus Athenienſium fuerit, reperimus annotatum.* Et fortè illud idem, quod reperit Hilduinus, nos hodie reperimus in Græcorum Menologio, quod Cardinalis Sirletus Latinè interpretatus eſt. Die III. Octobris: *Certamen ſancti patris noſtri Areopagitæ Epiſcopi Athenarum.* Si modò conſuetam in Menologio ſcribendi rationem conſideres, vbinam quæſo pugnata eſt hæc Chriſtiana pugna, niſi ea in vrbe, cuius Epiſcopus appellatur Areopagita? Hoc recentiores Græci cùm intelligerent, & nouis rebus ſtuderent, Menæis magnis intulerunt, quæ de geſtatione capitis, de Catula, & aliis ex Hilduini, & Sectatorum commentariis, Methodius, Syncellus, & Metaphraſtes Græcè ſcripſerunt. Quare cùm vitam Dionyſij à Methodio Græcè ſcriptam, & ab Anaſtaſio Latinè verſam perlegiſſet Hincmarus, *Recognoui*, inquit, *his quæ ibi ſcripta ſunt ea, quæ in adoleſcentia legeram, conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij beati Dionyſij, ſociorúmque eius, ad Romanorum cognitionem, indéque ad Græcorum notitiam peruenerint.*

Digitized by Google

Quod autem pertinet ad ſecundam contradi-ctionis partem, nihil eſt, quo illa probetur, niſi forſan admittamus Methodium, & quoſdam recentiores Græços, qui, vt iam oſtenſum eſt, furtiuis Hilduini commentariis decepti fuerunt. Illos itaque Græcos habuit opinionis ſuæ conſortes, quos credulos inuenit, eos ſectatores, quos inſtruxit, eos auctores, quibus argumentum ſcribendi dedit, eos denique teſtes, quos ſubornauit. Non repeto, quæ alibi paulò fuſiùs dicta ſunt.

Denique recentiores Græci, qui poſt Carolum Magnum vixerunt, ſcripſerint, quicquid placuerit, eos hâc ſolâ Baronij lege conſtringemus: *Quod à recentiore auctore de rebus adeò antiquis ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* At quæ à Methodio, Syncello, & Metaphraſte dicuntur, non modò ſine alicuius vetuſtioris auctoritate dicuntur, ſed contra omnem retrò Græcorum & Latinorum traditionem dicuntur.

Quòd ſi extra Gallias pedem mouere velit Samblacatus, inueniet Hilduinum aduerſarias habuiſſe, & habere Eccleſias omnes, quæ cùm veteri Romano Martyrologio, quod Ado deſcripſit, tum Nouantiquo, quod circa annum M D. Patauij Bellinus edidit, vtebantur hodiéque fortaſſis vtuntur. Declamator audiat vetus Romanum Martyrologium quinto Nonas Octobris: *Athenis Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi:* Septimo Idus Octobris: *Pariſiis Dionyſij Epiſcopi cum ſociis ſuis à Feſcennino gladio animaduerſi.* Hîcne pateretur vnus & idem Dionyſius, duobus in locis, in vno ſine

ſociis, & ſine explorato ſupplicij genere, in alTero cum ſociis, & cum explorato ſupplicij genere?

Nunc Declamator legat Nouantiquum Martyrologium, qua parte ſic habet de vtroque Dionyſio Athenienſi, & Pariſienſi: Calendis Octobris: *Tornaci Sancti Piatonis preſbyteri & martyris, qui cum beato Dionyſio Epiſcopo, ſuiſque ſociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſâ expetiit,* &c. vt ſuprà. Quinto Nonas Octobris: *Natale beati Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt, vt teſtatur Ariſtides Athenienſis,* &c. vt ſuprà. Septimo Idus Octobris: *Lutetiæ Pariſiorum natale Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici preſbyteri, & Eleutherij diaconi: Qui beatus Epiſcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus, in præfatam vrbem deuenit: vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus ardenter proſequens tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.*

Porro de huius Martyrologij editione & vſu hæc tradit Scardeonius libro II. Antiquitatum Patauij claſſe VII. *Bellino non modica laudi fuit editio & correctio Martyrologij, quod olim, cùm pro ſua raritate in Choris tantùm & in Conuentibus publicè legeretur, nunc huius operâ factum, vt ab omnibus legatur.*

Ceterum hæc omnia, quæ tam mirabili Eccleſiarum CVM INTER SE, TVM CVM EO, QVOD AB INITIO TRADITVM EST, conſenſu notauimus, niſi concoquere poſſit Sambla-

catus, deuoret neceſſe eſt; aut, quod facilius, agnoſcat ingenuè, ſe rem hiſtoricam ex ſuis momentis non expendiſſe, ſed vel odio viri toto orbe celebris, quem immaniter habet, vel ſtudio declamandi ad Verrinam actionem fuiſſe impulſum. In vno id fecit prudentiſſimus vir, quod ab aliis factum improperat paginâ V. & VI. *Plurimi*, inquit, *vndecunque gloriæ aura offulſit, eò ſtatim velis remiſque contendunt, ſine æſtimatione virium ſuarum: & fortè aliquis has partes præcepit, vt per fortem aduerſarium ſeſe nobilitet.* Quo in negotio, vt ille iuuenilem audaciam ſuo volatu, ſic & Samblacatus ſenilem prudentiam ſua declamatione nobilitatam ad poſteros tranſmiſit. In altero potuit nobiliorem declamandi materiam ſeligere: ſed in vtroque nouerit iura veritatis, quam impugnat, ſupra omne odium, maledicentiam, & cuiuſlibet declamationis acerbitatem collocata eſſe.

ANIMADVERSIO IX.

QVONIAM verò Græci veteres, dum de Areopagita ſermo incidit, illum nunquam Pariſienſis, ſed ſemper Athenienſis Epiſcopi & Martyris nomine donarunt, inde concluſum eſt, quòd Græcis veteribus Pariſienſis Epiſcopatus in Areopagita fuerit ignotus, indéque fictus, quippe qui ea de re minimè tacuiſſent. Declamator nunc paginâ LI. occurrit, cauſſatus id non ob eam, ſed ob aliam omnino rationem factum, *quia*, inquit, *non tam occupandæ ſedis Pariſienſis, quæ nulla fuerat conſtituta, quàm collocandæ cauſsâ,*

& ſtudio propagandæ fidei in Gallias veniſſet. Non auro contra carum emerim hoc genus reſponſi: Quia Dionyſius Areop. non tam venit in Galliam, vt Pariſienſem ſedem occuparet, quàm vt diuerſas fundaret Eccleſias, Pariſienſis Cathedræ veteres Græci mentionem nullam fecerunt, aliàs ſine dubio facturi, ſi Lutetiæ Pariſiorum ſedem fixiſſet. Commiſeratione potiùs, quàm riſu digna ſpeculatio. II. Cur quæſo non eius meminerunt, quod nouerant, ſcilicet Areopagitam non tam veniſſe in Gallias, vt futurum Pariſienſem Epiſcopum, quàm vt Galliarum Apoſtolum? Eritne Galliarum Apoſtolatus literis Græcorum indignior, quàm Pariſienſis Epiſcopatus, vel contrà? III. Martyrologiorum fere omnium, quæ citauimus, occurſu perit hæc hallucinatio: ſiquidem in illis diſertiſſimè legimus, Dionyſium à Pont. Rom. miſſum *in Galliam, prædicandi gratia Lutetiam veniſſe, vbi per aliquot annos commiſſum ſibi opus ardenter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* IV. Si quis hac volaticâ vſus reſponſione contenderet, Timotheum Epheſiorum, vel Titum Cretæ Epiſcopum veniſſe in Galliam, is non alia coargueretur à Samblacato ratione, quàm quâ nunc in eundem retortâ proſterneretur. Apage verò, qui & veterem Eccleſiæ diſciplinam, & quæſitas ex illa complexiones tam miſerabiliter eludis.

Animadversio X.

QVòd Socrates in recenſendis Pontificibus, qui ab vna ſede in aliam migrarunt, Dionyſij non meminerit. duo in cauſſa fuerunt paginâ LI. & LII. Vnum, quòd *miniſterium Dionyſij in Gallia non tam pro tranſlatione, quàm pro inſtitutione ſedis acceptum eſt.* Sed quia iſtud nimiùm ſubtile eſt, ac delicatum, tribuere Socrati hebetis ingenij viro non audet, ſuum forſan ſibi reſeruaturus acumen, quo nobis eximiam in inſtruendis erroribus felicitatem probet. Alterum, quòd à Socrate *eorum tantùm Epiſcoporum mentio facta ſit, qui poſt Nicænam Synodum mutata ſede in leges deliquiſſe videbantur.* Cur ergo Socrates adducit cum primis Alexandrum ciuitatis cuiuſdam Cappadociæ Epiſcopum, qui dum Hieroſolymam voti cauſſa contendiſſet, ab Hieroſolymitanis detentus eſt, & Narciſſi loco in Epiſcopatus gradu collocatus? Quippe Declamatori viſum eſt, Alexandrum, qui ad annum CC. vixit poſt Nicænam Synodum vixiſſe.

Animadversio XI.

DIPTYCHIS ſacris vim infert, & cuiuſdam tortoris vſus manu ex duobus Confeſſoribus duos Martyres facit paginâ LIV. Syncellum & Methodium. *Quòd ſi iactat*, inquit, *Synaxaria, nos ad Syngelos & Methodios martyres prouocemus.* Abeat ad Annales Eccleſiæ, vbi, quo genere mortis occubuerint Syngelus & Metho-

Digitized by Google

dius, leget. Bonus homo ſibi ſemper videre videtur Seuerum, quem fictis Martyribus debellet. Adhæc diſſimulat, aut potiùs non capit, quam ob cauſſam acerrimi iudicij ſcriptor adducat Synaxaria: ſcilicet vt oſtendat, quàm abſurdis ſe dictis implicent recentiores Græci, qui Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confundunt. Ab hoc autem argumento quid aberrauit? Immo & ſcopum feliciter aſſecutus eſt. Etenim Græci recentiores in ſuis Synaxariis eò deuenerunt inſulſitatis, vt Dionyſium poſt martyrium, mortémque ipſam in Occidentem profectum fuiſſe ſcripſerint. At verò Samblacatus in ſuo Palladio, non quid rei ſit, conſiderat, ſed quid augendæ declamationi inſeruiat. Quo in opere falſum perinde ac verum, poteſt eſſe iſtiuſmodi declamationis argumentum.

Ceterum Methodium, Syncellum, & Metaphraſtem ad Conſtantinopolitanos remitto, qui anno MCCV. Dionyſij Areopagitæ caput Niuelloni Sueſſionum Epiſcopo dederunt; Samblacatum quoque ad Sueſſionenſem Eccleſiam remitto, vbi huius capitis & aliarum reliquiarum ſuſceptionem & feſtum legat in eiuſdem Proceſſionali, & tunc facundiæ robur, quam voluerit in partem, flectat.

Animadversio XII.

DIONYSII ſui fidem de temporibus ſic aſſerit paginâ LIV. *Si Seuerum & Gregorium obiiciat, ad Hilduinum & Hincmarum eum prouocemus.* Itane Declamatorem docuit Tertullianus

Dionyſij

Dionyſij fidem de temporibus aſſerere? Maximè verò, quia fortè credit Seuero & Gregorio antiquiores eſſe Hilduinum & Hincmarum, vt motam inter quatuor homines controuerſiam dirimat *temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans viciationem, quod poſterius reuincetur.* Fieri enim non poteſt, quin iſta velit homo, quem aluit ſchola Tertulliani. Quis enim vellet recentiores antiquioribus, veridicos fabuloſis, non ſuſpectos ſuſpectis in re hiſtoricâ comparare? Sed vt hîc nihil diſſimulem, Samblacatus, & Vociferator Garſonius in excipiendo Seuero ſic certant inter ſe, vt diiudicari vix poſſit, vter Seuerum infeliciùs excipiat? Samblacatus Seuerum excipit per Hilduinum & Hincmarum, qui ſexcentis annis Aurelio Imperatore poſteriores ſcripſerunt, & in eâ rerum & temporum circunſtantiâ ſcripſerunt, vt non pro teſtibus, ſed pro aduerſariis habeantur. Ille verò Vociferator Seuerum excipit, quia ſcripſit, quæ non vidit, nec vllum qui viderit, vti ſponſorem laudauit: at poſtea authores producit annis mille & quadringentis Aurelio poſteriores, quippe qui viderint, quæ non vidit Seuerus, aut eos ſaltem, qui viderunt, laudarint. Qui tam nobile par Scriptorum noluerit ſeptem Græciæ ſapientibus adiungere, poterit inter felices illos homines recenſere, qui libro Odyſſeæ decimo Poëtæ carminibus nobilitantur.

ANIMADVERSIO XIII.

AGGREDIMVR egregiam omninò hominis fabuloſitatem, qua ſic perorat paginâ

LVII. *Equidem ſi ad togæ, aut armorum negotia animum referimus, ſi templa circumſpicimus, omnia nobis Areopagitam exhibent.* Declamatori morem geramus, & inprimis ad togæ negotia animum applicemus. Ad togam, ni fallor, pertinent, quæ noſtri Reges, quæ Præſides Eccleſiarum de publico apud nos Sanctorum honore decreuerunt. Videamus igitur, quibus nominatim Sanctis feriatos dies eſſe voluerint, & vtrùm in iis Declamatori exhibeant Areopagitam.

In ſumma Galliæ pace occurrit Carolus Magnus, qui cum Epiſcopis has feſtiuitates indixit libro I. Capitularium num. CLXIV. *Hæ ſunt feſtiuitates in anno, quæ per omnia venerari debent, Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Euangeliſtæ, Innocentum, octaua Domini, Epiphania, octaua Epiphaniæ, Purificatio Sanctæ Mariæ, Paſchæ dies octo, Litania maior, Aſcenſio Domini, Pentecoſte, Sancti Ioannis Baptiſtæ, Sancti Petri & Pauli, Sancti Martini, Sancti Andreæ.*

Poſt Carolum occurrunt Ludouicus & Lotharius, qui præeunte Concilio Moguntiaco, libro II. eorundem Capitularium num. XXXV. de feſtiuitatibus ita ſtatuerunt: *Feſtos dies in anno celebrare ſanximus, hoc eſt, diem Dominicum Paſchæ cum omni honore, & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſeruare decreuimus, diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoſte ſimiliter vt in Paſcha. In natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem vnum, Natiuitatem Sancti Ioannis Baptiſtæ, Aſſumptionem Sanctæ Mariæ, Dedicationem Sancti Michaëlis, natalem Sancti Remigij, Sancti Martini, Sancti Andreæ.*

In natali Domini dies quatuor, octauas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ, & illas feſtiuitates Martyrum, vel Confeſſorum obſeruare decreuimus, quorum in vnaquaque Parochia ſancta corpora requieſcunt.

Feſtiuitates eaſdem Heraldus Turonenſis Epiſcopus præſcribit in excerptis capitulis, quæ ad Sacerdotes & Clericos Parochiæ ſuæ miſit ad annum DCCCLVIII.

Quid hîc eſt, quod Declamatori Areopagitam repræſentet, quem pagina VII. queritur *de ſede dignitatis, de patrocinio Galliarum detrahi, vbi eum conſenſus populorum collocauit.* Age verò eloquentiam ſuam flectat in Reges & Epiſcopos, qui non perinde Dionyſio Areopagitæ, atque Martino & Remigio diem feſtum nominatim indixerint.

Nunc ad armorum negotia animum conuertamus, quæ Reges agitauêre belli conſilia, ſcrutemur, quæ per Gallias armamentaria conſtruxerunt, ſingillatim exploremus. Quid tum demum offendetur, quod exhibeat Areopagitam? Fallitur Samblacatus, ſi de Areopagita, & Areopagiticis dictum credat, quod de Cappa Sancti Martini in geſtis Caroli Magni legimus: *De pauperibus*, inquit Monachus Sangallenſis, ſeu Eginhardus, *quendam optimum Dictatorem, & Scriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter Cappam Sancti Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſſionem iugiter ad bella portabant, ſancta ſua appellare ſolebant.* In huius rei diſquiſitione quid ego tempus tero, cùm Hilduinus ipſe, *cui mul-*

tis annis ingenio parem neminem Gallia viderat; non diſſimulet, Pariſienſis Areopagitæ notitiam per octingentos annos modicam fuiſſe apud Latinos, eámque obtectam?

Hîc Areopagiticorum ἀντιλογίας nemo miretur: Illis enim velut à natura conceſſum eſt, vt vnuſquiſque non modò ſecum pugnet, ſed & cum aliis, qui idem ſentiunt. Hilduinum ſecum pugnantem vidiſti, Lector, ſuprà, diſſidentem ab Hilduino Samblacatum intuêre. Tum Hilduinus & Samblacatus, & quidam alij ante Decium, Pariſienſem Dionyſium vnum ſtatuunt, quem appellitant Areopagitam. Duo contrà nuperi ſcriptores alterum Domitiano, ſeu Traiano ſcilicet Areopagitam, alterum Decio Dionyſium conſignant. Statuâ dignum inuentum, ſed plumbeâ. Inter eos, qui vnum Dionyſium, eúmque Areopagitam vindicant, alij paſſum antè ſcribunt, quàm ab aliis veniſſe Lutetiam dicatur. Claudius Corteſius in Inuentionis corporis Magdalenæ Hiſtoria, quam anno ſuperiori Aquis Sextiis edidit Gallicè, cap. 11. affirmat, Areopagitam Magdalenæ naui ſubuectum in Gallias acceſſiſſe, pluribus etiam antè annis, quàm ab Apoſtolo Paulo conuerteretur. Sed in his omnibus quæ veritas? *Vbi temporum ratio non cohæret, ibi ne hiſtoria quidem vera eſſe poteſt*, vt eleganter diſſerit Tatianus Aſſyrius in Oratione contra Græcos.

Poſtremò, quæ de inexplorata Pariſienſis Areopagitæ notitia apud Latinos profitetur Hilduinus, in cauſſa eſſe poſſunt, cur ab circumſpiciendis templis abſtineamus, ad quæ nos De-

clamator inuitat. Enimuerò quia è re veritatis eſt, vt templa circumſpiciamus, & ea, quæ in templis fiunt, ad illa nos Declamatorem prouocamus. Qua in re curioſitatem ſi velit exercere, vertat oculos in antiquiſſimarum Eccleſiarum Litanias, vbi Dionyſium Pariſienſem inueniet inter Martyres collocatum, qui poſt Aurelium Imperatorem paſſi ſunt. E multis paucas ad ſpecimen inſpiciamus.

Eccleſia Lugdunenſis in Litaniis, quæ anno MDXLVIII. editæ ſunt, poſt Laurentium, Vincentium & Mauricium collocat Dionyſium Pariſienſem cum ſociis. Eccleſiæ verò, Æduenſis in Litaniis, quæ anno MDXXIII. Cabilonenſis in Litaniis, quæ anno MDCV. Lingonenſis in Litaniis, quæ anno MDLXXIII. editæ ſunt, Vincentium Cæſar-auguſtæ diaconum inuocant, non Dionyſium Pariſiorum Epiſcopum. In has Eccleſias Samblacatus Philippicam, ſi lubet, conſcribat, quòd Galliæ Palladium non agnoſcant.

Eccleſia Rothomagenſis in Litaniis, quæ anno MDXLIII. & MDCXL. editæ ſunt, poſt Laurentium & Vincentium collocat Dionyſium.

Metropolim ſequuntur Eccleſiæ, Baiocenſis in Litaniis, quæ anno MDCXI. Abrincenſis in Litaniis, quæ anno MDXXXIX. Ebroicenſis in Litaniis, quæ anno MDXXCVI. Sagienſis in Litaniis, quæ anno MDCXXXIV. Lexouienſis in Litaniis, quæ anno MDXXIII. Conſtantienſis in Litaniis, quæ anno MCCCCXCIV. & MDCIX. editæ ſunt. Hæ omnes poſt Laurentium, Vincentium & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Turonenſis in Litaniis, quæ anno

Digitized by Google

MDLXX. editæ ſunt, poſt Laurentium, Vincentium, Mauricium collocat Dionyſium cum ſociis.

Metropolim ſequuntur Eccleſiæ, Redonenſis in Litaniis, quæ anno MDLVIII. Andegauenſis in Litaniis, quæ anno MDXXC. Nannetenſis in Litaniis, quæ anno circiter MDLX. Venetenſis in Litaniis, quæ anno MDXCVI. Maclouienſis in Litaniis, quæ anno MDIV. editæ ſunt. Hæ omnes poſt Cyprianum, Vincentium, Mauricium, & alios collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Senonenſis in Litaniis, quæ anno MDLV. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios Martyres inuocat, non Dionyſium Pariſienſem.

At prouinciales Eccleſiæ, Autiſiodorenſis in Litaniis, quæ anno MDXXXVI. Niuernenſis in Litaniis, quæ anno MDXXCII. Trecenſis in Litaniis, quæ anno MDXLI. editæ ſunt. Hæ omnes poſt Sixtum, Laurentium, & alios Martyres collocant Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Remenſis in Litaniis, editis anno MDXXCV. Laurentium, Vincentium, Mauricium & alios Martyres inuocat, non Dionyſium. Contra hanc Eccleſiam & illius Manuale, quod Concilij prouincialis auctoritate compoſitum eſt ad vſum Eccleſiarum omnium prouinciæ, Samblacatus declamet, quòd Dionyſium non inuocet, nec Areopagitam Galliæ Palladium agnoſcat.

Eccleſiæ verò, Sueſſionenſis in Litaniis, quæ circa annum MDXXXVI. Nouiomenſis in Litaniis, quæ anno MDLX. Syluanectenſis in Litaniis, quæ anno MDXXVI. Bellouacenſis in Litaniis, quæ anno MDXLIV. Ambianenſis in Litaniis, quæ anno MDXLI. editæ ſunt, poſt Laurentium, Cypria-

num, Vincentium, & alios collocant Dionyſium cum ſociis. Catalaunenſis Eccleſia in Litaniis, quæ anno MDXXIV. editæ ſunt, Laurentium & Vincentium inuocat, non Dionyſium: quomodo Samblacati bilem effugiet?

Eccleſia Viennenſis in Litaniis, quæ ad annum MD. editæ ſunt, poſt Laurentium & Vincentium ponit Dionyſium cum ſociis ſuis. Sed in Litaniis, quæ anno MDLXXVIII. & Geneuenſis in Litaniis, quæ anno MDCXII. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios Martyres inuocant, non Dionyſium: de Palladio Galliæ nihil. Declamator quid allatrabit?

Eccleſia Bituricenſis in Litaniis, quæ anno MDLXIX. & MDXXCVIII. poſt Laurentium, Cyprianum, Vincentium, & alios collocat Dionyſium cum ſociis.

Metropolim ſequuntur Eccleſiæ, Claromontenſis & Sanflorenſis in Litaniis, quæ anno MDXVIII. & MDXXV. Mimatenſis in Litaniis, quæ anno MDXXX. Anicienſis in Litaniis, quæ anno MDXXVII. Lemouicenſis in Litaniis, quæ anno MDLV. poſt Sixtum, Laurentium, & alios collocant Dionyſium cum ſociis. Sed Eccleſiæ, Albienſis in Litaniis, quæ anno MDLIII. & Cadurcenſis in Litaniis, quæ anno MDCIV. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios inuocant, non Dionyſium. Samblacatus in vicinas ſibi Eccleſias atrociter ſi velit inuadat.

Eccleſia Aquenſis, quæ caput ſecundæ Narbonenſis eſt, in Litaniis, quæ anno MDLXXVII. editæ ſunt, poſt Laurentium, Cyprianum, & alios collocat Dionyſium cum ſociis.

Digitized by Google

Eccleſia Auſcenſis in Litaniis, quæ anno MDCII. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios inuocat, non Dionyſium. Samblacatus conueniat hanc Eccleſiam, illi calces impingat.

Eccleſia Toloſana in Litaniis, quæ anno MDXXXVIII. & MDLIII. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios inuocat, non Pariſienſem Dionyſium. Vbi nunc eſt Samblacati facundia, quâ matrem ſuam, ſi poſſit, excuſet: quòd in hoc veterrimo precum genere non exhibeat Areopagitam, *qui vtilitatibus Gallorum patuit, quoties ad eum perfugêre, qui ſuis præſidiis opem implorantes texit, qui vocatus per beneficia reſpondit, qui commune Gallorum & patriæ præſidium eſt.* Samblacati ſunt iſta emblemata, quibus veritas, vt par eſt, non inquiritur, ſed inuidiæ flamma admouetur aſſertoribus veritatis. Hîc Galliæ Palladio quid fiet? Samblacatus repetat quæ ſcribit in pagina XIII. & ſuam Toloſanam Eccleſiam ſic compellat. *Cui pro ſalute regni vota nuncupabimus? Cuius benignitati gratia referenda, vt ſe liberet animus beneficiis obſtrictus? à quo in tam diuturnis bellorum incendiis pacem impetrabimus?*

Eccleſia Burdegalenſis in Litaniis, quæ anno MDCXI. editæ ſunt, & in omnibus poſtea Eccleſiis eidem ſubiectis vſu receptæ, Laurentium, Vincentium, & alios inuocat, non Pariſienſem Dionyſium, quem tamen in Litaniis anno MDLX. editis poſt memoratos martyres inuocabat. Sed Eccleſiæ Pictauienſis, Lucionenſis & Malleacenſis in Litaniis, quæ anno MDXCIII. & MDXCIV. Inculiſmenſis in Litaniis, quæ anno MDXCII. edi-

tæ ſunt, Laurentium, Cyprianum, Vincentium inuocant, non Dionyſium. Hîc Declamator inuectiuam componat & dicat, pag. x. *De pietate publica, de communi præſidio, quæ in illo periclitantur, magis extimeſco. perſpicio non tantùm de vnius Dionyſij poſſeſſione, ſed pro Sanctis omnibus Deique religione retinenda Galliam dimicare.*

Eccleſia Cameracenſis in Litaniis, quæ anno MDLXII. editæ ſunt, Laurentium, Vincentium, & alios martyres inuocat, non Dionyſium. Sed Atrebatenſis in Litaniis, quæ anno MDLXIII. editæ ſunt, poſt Laurentium, Fabianum, Sebaſtianum, & alios collocat Dionyſium cum ſociis.

Eccleſia Pariſienſis, quæ nuper in Metropolim erecta eſt, in Litaniis, quæ anno MDIV. MDXLII. MDXXCI. MDCI. MDCXV. & MDCXXX. poſt Laurentium, Vincentium, Coſmam & Damianum collocat Dionyſium ſuum cum ſociis.

Metropolim ſequuntur Eccleſiæ, Carnotenſis in Litaniis, quæ anno MCCCCXC. MDXLIV. MDCIV. & MDCXXVII. Aurelianenſis in Litaniis, quæ anno MDXXCI. editæ ſunt, poſt Laurentium, Vincentium, & alios collocant Dionyſium cum ſociis. Sed vnica Meldenſis in Litaniis, quæ anno MDXLIX. editæ ſunt, poſt Clementem collocat Dionyſium cum ſociis, ante Laurentium, Vincentium, & alios martyres. Ex Meldenſi Martyrologio, vbi Dionyſius Piatonis comes dicitur, peruerſum eſſe in Litaniis ordinem quis non videt? Ego tamen vt in Martyrologiis Eccleſiarum, ita in Litaniis Samblacatum de

nulla re celare volo, quia me vnicum veritatis ſtudium habet. Parem ab illo gratiam & ſinceritatem exſpectare non poſſum. Qui enim in rebus vnicuique peruiis imponit, longè faciliùs in iis, quæ legere vix poſſemus, imponeret.

Ceterum de aliarum Eccleſiarum Litaniis, quas non vidi, nihil pronuncio, tametſi dubium vix vllum appareat, quin aliæ Eccleſiæ cum Eccleſiis, quas laudaui, & maximè cum Pariſienſi conueniant, & licèt non conuenirent, concordiæ legem ab Eccleſia Pariſienſi accipere cogerentur.

Nunc tria his in Litaniis conſideret Declamator. Vnum eſt, in Galliarum Eccleſiis Vincentij Cæſarauguſtæ diaconi frequentiorem eſſe quàm Dionyſij Pariſiorum Epiſcopi memoriam, & inuocationem. Quod Samblacato nouæ Declamationis argumentum eſſe poterit. Alterum, antiquiſſimum eſſe in Gallicanis Eccleſiis Litaniarum vſum, & in iis eum ordinem, quem exhibuimus, tandiu credi retentum & poſſe & debere, quoad aliter factum ex vetuſtioribus Litaniarum exemplaribus Declamator oſtendat, certámque mutati ordinis rationem reddat, niſi eò temeritatis deferatur, vt iſta omnia caſui, & fortunæ velit adſcribi. Enimuerò Litaniæ illæ, quarum modò meminimus, quandiu per Galliarum Eccleſias decantabuntur, tandiu inuictæ remanebunt argumenta traditionis, quâ Dionyſium Pariſienſem ſub Diocletiano & Maximiano paſſum conſtabit. At Dionyſius ſub his Imperatoribus paſſus qui potuit eſſe Areopagita? Tertium, Martyribus, qui ante Aurelium Imperatorem paſſi ſunt, Dionyſium, ſi Meldenſes Litaniæ excipiantur, nun-

Digitized by Google

quam præponi, immo Martyribus, qui ſub Maximiano & Diocletiano paſſi ſunt, ſemper connumerari. Quod mirificè conſentit & cum noſtris Martyrologiis, quæ Dionyſium Piatonis collegam faciunt, & cum Greg. Turonenſi, & Paſſionis S. Saturnini auctore, qui Dionyſij Pariſienſis in Gallias aduentum ſub Decio conſtituunt. Etenim qui Dionyſius ſub Decio Lutetiam venit, Pariſienſibus fidem Chriſti nuntiatum, ſub Diocletiano & Maximiano poſtea martyrium fecit.

Igitur quæ tria potiſſimùm conſueuerunt ad veræ traditionis aſſertionem deſiderari, illa ſanè cùm in Martyrologiis, tum in Litaniis de vtroque Dionyſio perfectè reperiuntur. Primum eſt, vt de eo, quod in traditione poſitum contenditur, diuerſis & temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui in teſtes producantur. Alterum, vt Scriptores illi, niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conueniant in teſtimonio, quod de re traditâ perhibent. Tertium, vt iidem Scriptores ad primam rei geſtæ originem, quæ caput veritatis eſt, continuâ ſerie reducantur. Samblacatus porrò nobis ediſſerat, quænam ex his tribus veræ traditionis conditionibus nobis deſit? Non prima quidem, cùm diuerſarum Eccleſiarum & Cœnobiorum Martyrologia & Litaniæ teſtentur, permultos fuiſſe exploratæ fidei Scriptores, qui vtriuſque Dionyſij Pariſienſis & Athenienſis diſcrimen memoriæ prodiderint, qui Dionyſio Pariſienſi non alium, quàm inter paſſos ſub Maximiano & Diocletiano Martyres locum dederint. Non ſecunda, cùm illi Scriptores non ſenſu tantùm, ſed & iiſdem pro-

pemodum verbis, vtrumque Dionyſium deſignent, Athenienſem & Pariſienſem. Hunc cum ſociis, illum ſine ſociis; hunc certo affectum ſupplicio, capitis ſcilicet obtruncatione, illum diuerſis tormentorum generibus; hunc paſſum Pariſiis, illum Athenis; hunc ſeptimo Idus Octobris, illum quinto Nonas Octob. hunc denique Piatonis comitem, qui ſub Maximiano paſſus, Areopagita eſſe non potuit. Non denique tertia, cùm quæ in Martyrologiis & Litaniis dicuntur, non ſiſtant in Adone, vel in Vſuardo, vel in veteri Romano Martyrologio, vel in Beda, ſed & inoffenſo pede vadunt ad Gregorium Turonenſem, & ad antiquiorem Gregorio Paſſionis B. Saturnini auctorem, qui rei geſtæ æqualis, aut ſuppar ab æqualium traditione inſtructus ſcripſit. Ille verò cùm nec multùm ab vrbe Pariſienſi diſtaret, immò in eadem frequentiſſimè verſaretur, Eccleſiæ Pariſienſis fidem & traditionem ignorare non potuit.

At Samblacatus popularis ſuæ traditionis epocham conſtituit in Stephano tertio, ſed vt oſtendimus, mendacem, quæ deinceps ſolâ facundiæ & gratiæ pompâ fucatur, ſcilicet vt falſitas Tullianæ Latinitatis ſale condîta, ſi non omnium, at ſaltem affectorum palato ſapiat, & commodiùs in debilem ſtomachum tranſmittatur.

Verùm niſi huic noſtræ traditioni ſtent Samblacatus & commilitones, timeo, ne vindex traditionum Apoſtolus de illis prædixiſſe dicatur epiſtola II. ad Timotheum cap. IV. *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

FINIS.

Digitized by Google